

1498804  
Remiss. Doct. in varia loca

per appellationem a dif-  
nitiva posse appellari, do-  
et Nauar. conf. 2. de appel-  
t. quod potest etiam ap-  
ellari ex rationabili causa,  
in appellatione expressa  
abatur in cap. Vt debitus  
e Appellat. cap. Cum ap-  
ellationibus friuolis cod.  
it. lib. 6. Vide tamen Soar.  
le Paz in praxi. tom. 2. p. 5.  
cap. vnic. nu. 3. Quarant. in  
summa Bullarum, verbo, Ar-  
chiepiscopi auctoritas, vers.  
Primo. quæro, pag. 65. vbi  
resoluit, quod non potest  
appellari ab interuocatoria  
in scriptis, & expressa causa  
iuxta, ex hoc decreto, licet  
olim ante Concilium attē-  
to iure, liceret.

4. In text. ibi (sic Episcopus,  
sive Vicarius appellatio huius-  
modi tanquam friuola deferre  
tenetur) Sacra Cardinalium  
congregatio ita censuit. Ar-  
chiepiscopus non debet se  
ingerere in prima instantia  
causarum, quæ agitantur coram  
eius suffraganeo. Et iterum.

nec differendum appellationibus, nisi in illis tribus casibus, de quibus supra adest bulla Gregor. XIII. quæ est 24. fol. 1220. in Bullario, & prædictas Cardinalium decisiones, refert Zerol. in praxi. Episc. verbo, Appellatio, vers. Ad decimum.

5. Sacram Cardinalium Congregationem definisse Metropolitanum non posse cognoscere, etiam citra præiudicium cursus causæ coram Episcopo, neque ad eum effectum etiam absque vlla inhibitione posse simpliciter mandare, ut sibi transmittatur copia processus expensis appellantis, extra casus a prædicto Concilio expresse concessos appellandi, refert Stephan. Quar. in sum. Bullar. verbo, Archiepiscopi auctoritas vers. Primo quæro. pag. 65.

6. In hac denique appellationis materia extat decretum sacre Congregationis prolatum die 16. Octobris, anno 1600. Alex. Car-

# APPENDIX

CODICIS

THEODOSIANI

Nouis Constitutionibus cumulator.

*Cum Epistolis aliquot veterum Conciliorum & Pontificum Romanorum, nunc primum editis.*

Opera & studio IACOBI SIRMONTI  
Presbyteri Societatis IESU



PARISIIS

Apud SEBASTIANVM  
viâ Iacobzâ, sub Cicc

M. DC. XXXI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





## LECTORI.

*De diuersis Opusculis, qua in hoc volumine continentur.*



VANTI sit ad legum ciuiliū sa-  
crarūque intelligentiam consti-  
tutiones principum, aut epistolas  
pontificum, ex quibus decreta le-  
gum excerpta sunt, integras atque  
illibatas contueri, & ipsa vnumquemque res do-  
cet, & fidem iudicio suo fecerunt viri docti, qui in  
his propterea inuestigandis proferendūsq; in pu-  
blicum magno studio versati sunt. Quo minus  
mihi ambigendum, LECTOR, putavi, cum vtrius-  
que generis nonnulla in manus meas venissent,  
quin & ea in lucem dari tua interesse censes, &  
nostram hoc etiam in conatu operam, quod prae-  
cipue optandum erat, minimè improbares.

I. Habes igitur primo loco Imperatoriarum ali-  
quot legum collectionem. cui dum nomen ac ti-  
tulum quaerimus, Appendix codicis Theodosiani  
dici posse idcirco visa est, quod ab iis tribus con-  
stitutionibus incipiat, quae Codici Theodosij ap-  
pendicis loco subijci consuerunt. Cum his enim  
tribus coniungi & reliquas consueſſe, quas nunc  
damus, docent veteres Scintillae, ut vocabant, seu  
breuiaria Codicis Theodosiani, in quibus harum  
quoque nostrarum titulos sub finem & lemmata  
videre est. Ceterum codex Lugdunensis Ecclesiae,

Unde has primū descripsimus, & Anitiensis alter, cum quo postea contulimus, non Theodosianas leges, sed Synodos partim Africanas, partim Gallicas continebant.

II. Quæ posthæc sequuntur Epistolæ Conciliorum, ex Bibliotheca regia prodierunt: nouæ omnes, præter vltimam, quam etsi alibi vulgatam, diuelli à ceteris non placuit. Ex his binæ Ambrosij nomen præferunt: nec aberrabit fortasse, qui Ambrosianas omnes esse coniecerit. His ergo, quoniam ad Imperatores scriptæ sunt, locum dedimus post Imperatorias sanctiones; daturi simul & principum ad eas rescriptis, si nancisci omnia licuisset. Vnicum autem extabat, Gratiani Aug. ad Aquilinū, de reliquiis factionis Ursicinæ: quod à Card. Baronio prolatum Tomo IV. Annalium, hoc etiam loco post epistolam Concilij Romani, cuius petitu datum fuerat, reddendum censuimus, mendis quæ irreperant ex parte sublati, restitutaque Inscriptione, quam uocula ex contextus initio temere adscita corruerat, Aquilinū, qui Vicarius Urbis erat, Vicarium faciens Ordinariorum: cuius generis aut nominis Vicarius nusquam gentium fuit.

III. Inter Epistolas pontificum, quæ vltimum locum tenent, primæ sunt Felicis III. epistolæ septem, quas suppeditauit codex noster Virdu-nensis, nonnullo, vt speramus, adiumento historię Acacianæ: Ad quam ipsam pertinet etiam vetus incerti scriptoris præfixa narratio, quam Breui-culum historię Euty-chianistarum appellauimus, veteres libri vocant *Gesta de nomine Acacy.*

Hanc auctor scriptam innuit anno CHRISTI CDXXVI. hoc est biennio post damnatum à Felice Acacium. Quare aptius his temporibus congruit, quam quo hactenus loco posita est inter epistolas Cælestini & Leonis. Ex prima rursus Felicis ad Zenonem epistola sumptum liquet fuisse caput *Certum est Dist. x.* vt suppleri iam queat, quod eius capitis titulo deest apud Gratianum, hoc modo, *Item Felix Papa Zenoni Augusto, Gelasij Papæ epistolæ duæ mutilæ sunt, vt patet. atque haud scio an ad vnum eundemque Tractatum ambæ referendæ sint, qui à Nicolao Papa in epistola ad Michaëlem Imp. dicitur Tomus Gelasij ad Orientales Episcopos.* Ita vt quæ ibidem ex Tomo illo citantur à Nicolao, & alia rursus, quæ Nicolaus idem ad Gallos, scribens in epistola *Quamuis singularum* de præscriptione xxx. annorum commemorat ex epistola Gelasij ad Orientales, quæ ipsa citat etiam Gratianus xvi. q. 3. *Post quingentos,* ea cum in his nostris fragmentis non reperiantur, in aliis quæ desiderantur fuisse credendum sit. Vigilij demum Encyclicam, antehac desideratam, & priore tantum sui parte notam, excipiebat in codice Remensi altera eiusdem epistola de damnatione Theodori Casariensis, cuius in Encyclicam fit mentio. Tum deinde sequebatur cleri Romani de iisdem Vigilij calamitatibus relatio ad Legatarios Francorum. cui edendæ hîc etiam locus erat, nisi à nobis edita iam esset Tomo I. Conciliorum Gallię anno DLII.

## I N D E X.

1. Appendix Codicis Theodosiani constitutionum xx.
2. Conciliorum Italiæ anno CHRISTI CCCXXCI. Epistolæ quinque ad Gratianum, Valentinianum, & Theodosium Impp.
3. Pontificum Romanorum Felicis III. Gelasij, & Vigilij Epistolæ X. quibus præfixa sunt Gesta de nomine Asacij.

**FAVT OSTER**

**GE CARTON.**

INDEX  
CONSTITUTIONVM,  
quæ in Appendice Codicis  
Theodosiani conti-  
nentur.

1. CONSTANTINI AVG. ad Ablaium Præ-  
fectum prætorio. Pag. 1.  
De confirmando etiam inter minores ætates iu-  
dicio Episcoporum : & testimonium vnus Epi-  
scopi accepto ferri.
2. HONORII AVG. ad Hadrianum PP. 5.  
Episcopos iudicio Episcoporum damnatos cen-  
tum milibus ciuitate in qua fuerunt debere ex-  
cludi.
3. THEODOSII AVG. ad Optatum PP. 8.  
Non licere clericos in causis Ecclesiasticis ad pu-  
blicum pertrahere iudicium.
4. CONSTANTINI AVG. ad Felicem PP. 11.  
Non debere seruos à Iudæis circumcidi : nec in-  
quietari Iudæos qui Christiani fiunt.
5. HONORII AVG. ad Proiectum Consula-  
rem. 13.  
Collectio eorum esse qui colligerint, aut pretij  
duplusi numerari, & expensas.
6. VALENTINIANI CÆS. ad Amatum PP.  
Gallarum. 14.  
Non licere clericos iudicio litigare, & hæreticos  
debere de ciuitatibus proici. Christianos non de-  
bere Iudæis seruire, nec Iudæos causas agere,  
vel militare.

7. THEODOSII AVG. ad Eutropium PP. 17  
 Ut exceptis quinque solitis criminibus, aliorum omnium rei carceris custodia propter Paschalem solemnitatem liberentur.
8. THEODOSII AVG. ad Antiochium. 19.  
 Ut præter quinque capitalia crimina, omnes rei, quos Paschalis solemnitas in carcere inuenit, dimittantur pro gaudio & veneratione tantæ festiuitatis.
9. HONORII AVG. ad Theodorum II. PP. 23.  
 Ut damnatos ab Episcopis clericos, & ab Ecclesia segregatos, curia sibi vindicet.
10. HONORII AVG. ad Palladium PP. 25.  
 Ut clerici cum extraneis feminis non habitent: & sacrarum virginum raptores deportatione plectantur.
11. HONORII AVG. ad Melitium PP. 28.  
 A quibus oneribus Ecclesie habeantur immunes.
12. HONORII AVG. ad Curtium PP. 31.  
 Aduersus hæreticos & gentiles, & de ytroque ædificiis atque templis ad usum publicum vindicandis.
13. HONORII AVG. ad \* \* \* 36.  
 De confugientibus ad Ecclesias, ut qui ninquaginta passibus extra fores securi sint: & ut Episcopo carceres visitanti liber aditus pateat.
14. HONORII AVG. ad Theodorum PP. 38.  
 De Episcopis in Africa vexatis: ut capitali sententia deinceps in eos vindicetur, qui Ecclesiis, vel Episcopis, ac ministris iniuriam intulerint.
15. HONORII AVG. ad Melitium PP. 45.  
 Eos infamiae notam subite, qui obiecta clericis crimina probare non possunt.
16. HONORII AVG. ad Theodorum PP. 49.  
 Lex quæ redemptos de captiuitate iubet aut restituere pretium, aut si pauperes sunt, quinquennio redemptoribus suis obsequi.

17. CONSTANTINI AVGVSTI. 54.  
 Lex de Theodosiano, sub Titulo xxvii. De Episcopali definitione.
18. HONORII AVG. ad Theodorum PP. 55.  
 Lex alia de Theodosiano, sub Titulo xxvii. De Episcopali definitione. & hoc valentior, quia omnibus posterior.
19. HONORII AVG. ad Constantium Patri-  
 cium. 56.  
 Qui libertum vel manumissum inquietat, capitali sententia plectendus.
20. VALENTINIANI AVG. ad Virum PP. 57.  
 De accusatione Episcopi, presbyteri, vel diaconi. & quod obnoxios cum illis ambulantes retinere non liceat.
21. HONORII AVG. ad Hadrianum PP. Lex II.  
 aduersus Donatistas, multo quàm in vulgatis libris emendatior. 59.

## INDEX EPISTOLARVM Conciliorum Italix.

1. CONCILII AQVILEIENSIS ad Gratianum  
 Imperatorem. 67.  
 Ne aures præbeat Vrsicino, qui Romanam sedem repetere moliebatur.
2. CONC. AQVILEIENSIS ad Theodosium  
 Imp. 72.  
 Ut Concilium Alexandriae fieri iubeat propter Timotheum Episcopum, qui aliquorum dissidiis urgebatur.
3. CONC. ROMANI ad Gratianum & Valen-  
 tinianum Imp. 78.  
 De damnatis è factione Vrsicini, qui Ecclesias

suas contra interdictum retinebant, ut Episcoporum iudicium subire & parere iubeantur.

RESRIPTVM *Gratiani Aug. iuxta superioris Epistole relationem, datum ad Aquilinum Vicarium Vrbs.* 90.

4. CONC. ITALIAE ad Theodosium Imp. 97.  
Inter cetera damnatos scribit in Synodo fuisse, qui Apollinaris dogma inducere conabantur.
5. CONC. ITALIAE ad Theodosium Imp. 102.  
De Episcopo Antiochiæ subrogato post mortem Meletij. & ut Nestarius Constantinopoli post Maximum ordinatus loco cedat, aut Romæ super utriusque ordinatione Concilium habeatur.

## INDEX EPISTOLARVM Romanorum Pontificum.

BREVIQVLVS *Historia Eutychianistarum, seu Gesta de nomine Acacij, cum Edicto sententia Felicis Papæ in Acacium.* 111.

1. FELICIS III. EPISTOLA I. ad Zenonem Imp. 124.  
Conqueritur de violatis ab eo Legatis, suadetque ut acquiescat damnationi Petri Alexandrini & Acacij.
2. EPISTOLA II. ad clerum & plebem CP. 130.  
Ne turbentur ob prauaricationem Legatorum, atque ut Acacij à sede Apostolica damnati communionem deuitent.
3. EPISTOLA III. ad monachos CP. & Bithyniæ. 134.  
Tutum Ecclesiæ Defensorem prauaricationis causa fuisse damnatum. & quomodo ipsi in suos, qui Acacio adhaeserint, animaduertere debeant.

4. EPISTOLA IV. ad Zenonem Imp. 134.  
Laudato eius studio in ordinatione noui Episcopi, hortatur ut in Acacij Petrique nominum damnatione, de qua Episcopi Legati nihil sibi mandatum responderant, cum Ecclesiæ Romana consentiat.
5. EPIST. V. ad Flauitam Episcopum CP. 148.  
Quòd Legatos eius à communionem propterea suspenderit, quia de Acacij Petrique nominibus nihil sibi mandatum responderint. Hortatur ut & ipse ab his recuandis abstineat, & Zenoni id ipsum persuadeat.
6. EPISTOLA VI. ad Thalassium Archimandritam CP. 159.  
Ne cum Ecclesiæ CP. vel illius Episcopo, ipse aut monachi eius antè communicent, quam à sede Apostolica iussum fuerit.
7. EPIST. VII. ad Vetrantionem Episcopum. 162.  
Discidij Ecclesiæ CP. causas exponens, hortatur ut Zenonem ad vnionem cum Romana instaurandam permoueat.
8. GELASII PAPÆ Tractatus aduersus Græcos. 170.
9. EPISTOLA ad Episcopos Orientales. 189.  
Quòd in Acacij aliorumque damnatione Synodo noua opus non fuerit: & quòd Petrum Alexandrinum absoluerit Acacius sine sedis Apostolicæ auctoritate non potuerit. Tum de Episcopis catholicis sede sua sine discussione deiectis.
10. VIGILII PAPÆ Encyclica ad vniuersam Ecclesiam. 218.  
Exponit causas secessus sui ad S. Euphemiam, & quid ibi egerit cum Legatis Iustiniani. simulque fidei suæ confessionem interserit.





*Summa Privilegij.*

**C**Autum est LVDOVICI XII. Franciæ & Navarræ regis privilegio, ne quis in regno ipsius intra sex proximos annos ab hac impressione numerandos, excudat, vendat, aut excudendum, vendendum curet Librum, qui inscribitur *Appendix Codicis Theodosiani, &c. cum Epistolis aliquot veterum Conciliorum & Pontificum Romanorum, nunc primum editis opera Jacobi Sirmondi Præbyteri Societatis IESV, præter Sebastianum Cramoisy Bibliopolam Parisiensem.* Ne quis item ex regis subditis Librum eundem extra regni fines excudendum curet, vel alios, ubicumque fuerint, ad excudendum instiget, sine consensu dicti Sebastiani, sub pœna confiscationis Librorum, & aliis contra delinquentes expressis in diplomate dato Parisiis die 13. Januarij 1631.

Signatum

RENOVARD.

APPENDIX



**APPENDIX**  
CODICIS  
THEODOSIANI.

Cum tribus iis, quæ in fine libri xvi. legabantur, quindecim alias diuersorum principum constitutiones continens,

LEX I.

*De confirmando etiam inter minores ætates iudicio Episcoporum: & testimonium unius Episcopi accepto ferri.*

IMP. CONSTANTINVS AVG.  
Ablauio Præfecto præt.

**R**ELIGIONIS est clementiam nostram sciscitari voluisse, quid de sententiis Episcoporum vel antè moderatio nostra censuerit, vel

A

nunc seruari cupiamus, Ablauī pārens carissime. Itaque quia à nobis instrui voluisti, olim prerogatae legis ordinem salubri rursus imperio propagamus. Sanximus namque, sicut edicti nostri forma declarat, sententias Episcoporum quolibet genere latis, sine aliqua ætatis discretionē, inuiolatas semper incorruptasque seruari. Scilicet ut pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur, quicquid Episcoporum fuerit sententia terminatum. Siue itaque inter minores, siue inter maiores ab Episcopis fuerit iudicatum, apud vos qui iudiciorum summam tenetis, & apud ceteros omnes iudices, ad executionem volumus pertinere. Quicumque itaque litem habens, siue possessor, siue petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curricula, siue cum negotium perora-

tur, siue cum iam cœperit promi sententia, iudicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim, quæ in iudicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, inuestigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel prætorio iure, vel ciuili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis iure firmentur: nec liceat ulterius tractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium etiam, ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum,

illud incorruptum, quod à sacro-  
 sancto homine conscientia mentis  
 inlibatæ protulerit. Hoc nos edicto  
 salubri aliquando censuimus, hoc  
 perpetua lege firmamus, malitiosa  
 litium semina comprimentes: vt mi-  
 seri homines, longis ac pene perpe-  
 tuis actionum laqueis implicati, ab  
 improbis petitionibus, vel à cupidi-  
 tate præpropera, maturo fine disce-  
 dant. Quicquid itaque de sententiis  
 Episcoporum clementia nostra cen-  
 suerat, & iam hac sumus lege com-  
 plexi, grauitatem tuam, & ceteros,  
 pro vtilitate omnium latum in per-  
 petuum obseruare conueniet. Data  
 III. Nonas Maias, Constantinopoli.



## II.

*Episcopos iudicio Episcoporum damnatos cen-  
 tum milibus ciuitate, in qua fuerunt,  
 debere excludi.*

IMP. P. P. A. ARCADIVS, HONORIVS,  
 & THEODOSIVS A. A. A. HADRIANO  
 PRAEFECTO PRAET.

**V**T veneratio sacerdotibus de-  
 betur innoxiiis, ita & poena  
 moderata inquietis atque deiectis.  
 Quemadmodum enim Deo seruien-  
 tes, & diuini sacerdotij integritate  
 lucentes, non solum vitam suam pro-  
 prio praestant ornamento, sed etiam  
 subiectæ plebis atque obedientis  
 exemplo: ita ij, quorum indigniora  
 sunt sub integritatis professione pec-  
 cata, si exclusi degradatiquè ab Epi-  
 scopis comprobentur, qui resupinos  
 spiritus aduersum definita retulerint,  
 separati ab his vrbibus, quas errore

proprio tenuerunt, & sibi debent esse reperti & aliis constituta ablegatione terrori. Plurimos enim bonos faciunt, & veneratio optimorum sacerdotum, & notabilis reprehensio pessimorum. Suggestentibus Episcopis didicimus, quosdam sacerdotes Christianæ legis, quorum delicta cœtu Episcopali & deprehensa fuerint, & eorum sententia vindicata, in sinu earum urbium, in quibus talia commissa sunt, permanere; & quærere turbas populi conuocare, turbatores quietis existere, tumultus popularis auctores, innocentes se post iudicium dicere, plebem colligere, & velut adhuc Episcopos salutari, comitatum sacrum petere, mereri mendaciis oracula & furtiua rescripta. Sancimus itaque hac lege, ut quicumque residentibus sacerdotibus fuerit Episcopali loco detrusus & nomine,

si aliquid vel contra sententiam, vel contra quietem moliri fuerit deprehensus, rursusque sacerdotium petere, à quo videtur exclusus, procul ab ea vrbe quam indignus infecit, secundum legem diuæ memoriæ Gratiani, centum milibus vitam agat. Sit ab eorum cœtibus separatus, à quorum est societate discretus, careat vrbe quam tenuit, segregetur à plebe, quam mentitus vitæ professor infecit. Sit huiusmodi personis tenore huius legis illicitum sacra nostra adire secreta, & impetrare rescripta. Omnia deiectis per culpam sacerdotio personis quæ impetrata sunt, infecta permaneant. Scituris his, quorum defensione nituntur, absque sui reprehensione non futurum, si his polliceantur suffragium, qui diuinum non videntur meruisse iudicium, Hadriane parens carissime at-

que amantissime. Hanc igitur legem sublimis magnificentia tua cunctas per dioceses sibi creditas publicabit edictis, ut id quod pro quiete reperi- tum, pro iudicij Episcopalis confir- matione constitutum, pro reprimen- dis culpis inuentum est, ab omnibus excolatur, à sacerdotibus seruetur. Data pridie Nonas Februarias, Ra- uennæ. Stilicone II. Consule.

## III.

*Non licere clericos in causis Ecclesiasticis ad publicum pertrahere iudicium.*

IMPPP. VALENTINIANVS, THEODOSIVS,  
& Arcadius AAA. ad Optatum  
Præfectum Augustalem.

**G**Rauiter admodum mota est no- stra clementia, quædam ab his qui Episcoporum sibi nomina vindicant perpetrata, & contra leges non

minus diuinas quàm humanas im- proba temeritate commissa. Vexatos etiam nonnullos orthodoxorum cle- ricos, quorum ætas huic iniuriæ ac sacerdotium repugnabat, flagitatos itineribus, quæstionariis deditos: at- que hæc omnia per eos commissa, qui ad tegumenta frontis sacerdotij nominis titulos præferabant. Deni- que lectis in consistorio precibus, quibus Episcopalis pietas aliquid postulans refragatur denegátque, id- circo continua lege sancimus, no- men Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ne ad iudicia siue ordinariorum, siue ex- traordinariorum iudicium pertraha- tur. Habent illi iudices suos, nec quic- quam his publicis commune cum le- gibus: quantum ad causas tamen Ec- clesiasticas pertinet, quas decet Epi- scopali auctoritate decidi. Quibus-

cumque igitur mota fuerit quæstio, quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos docebit sub eo iudice litigare, qui præsul est in suis partibus omnium sacerdotum, id est per Ægypti diocesim, Optate carissime ac iucundissime. Quare laudabilis auctoritas tua, arbitrio temperato, quicquid negotiorum aliunde incidet terminabit, habituro pontificium sacræ disceptationis Timotheo Episcopo, quem sibi omnes etiam suo iudicio prætulere. Est enim vir cum omnium sacerdotum susceptione venerandus, tum etiam nostro iudicio iam probatus. Data pridie Nonas Februarias, Constantinopoli.



## IV.

*Non debere seruos à Iudeis circumcidi, nec inquietari Iudeos qui Christiani sunt.*

IMP. CONSTANTINVS AVG. AD  
Felicem Præfectum præt.

**I**Am dudum quidem constitutionis nostræ saluberrima sanctio promulgata est, quam nostræ repetitæ legis veneratione geminamus, ac volumus, vt \* si quisquam Iudæorum Christianum mancipium, vel cuiuslibet alterius sectæ, mercatus circumcidere non perhorruerit, circumcisus quidem istius statuti mensura libertatis compos effectus, eiusdem privilegiis potiatur: non fas Iudæo sit, qui circumciderit, mancipium generis memorati, in obsequium seruitutis retinere. Illud enim hac eadem sanctione præcipimus, vt \* si quispiam

C. Th. de  
Christianum  
mancipium  
L. i.

C. Th. de  
Iudeis  
L. i.

Iudæorum, referans ianuam vitæ perpetuæ, sanctis se cultibus mancipauerit, & Christianus esse delegerit, ne quid à Iudæis inquietudinis vel molestiæ patiatur. Quòd si ex Iudæo Christianum factum aliquis Iudæorum iniuria putauerit esse pulsandū, volumus istiusmodi contumeliæ machinatorem, pro criminis qualitate commissi, pœnis vltimicibus subiugari, Felix parens carissime. Quare diuinitatis affectu conuidimus ipsum in omni orbe Romano. cunctos pro debita veneratione seruare: ac volumus, vt excellens sublimitas tua, literis suis per diocesim sibi creditam commeantibus, iudices moneat instantissimè, huiuscemodi debitam reuerentiam custodiri. Data XII. Kalendas Nouembris. Proposita VII. Idus Martias Chartagine. Nepotiano & Facundo Coss.

## V.

*Collectitios eorum esse qui collegerint, aut pretij duplum numerari, & expensas.*

IMPR. HONORIVS ET THEODOSIVS  
Augg. ad Proiectum Consularem.

**I**Nuerecunda arte defenditur, si hi ad conditionem vel originem reposituntur, quibus tempore famis, cum in mortem penuria cogerentur, opitulari non potuit dominus aut patronus. Porrò autem iniquum est, si expensis alterius seruatum hominem in lucem, quisq; sibi obnoxium quocumque titulo sperans audeat vindicare. Itaque magnificentia tua, inspecta serie de his qui per necessitatem aut comparati sunt, aut fortasse collecti, in eorum dominium eos faciet perdurare: aut si ab aliquo flagrantur, enumerata duplici pecunia,

quæ data est pretij nomine, atque expensarum habita ratione, ita demum ad vindicantis auctoritatem eos redire permittimus. ne sit miserum ita exhibuisse alimoniam morienti, vt seruatus in vitam postea commodis alterius in dispendio alterius proficit. Data xv. Kalendas Iunias Monaxio & Plenta vv. cc. Coss.

## VI.

*Non licere clericos iudicio litigare, & hereticos debere de ciuitatibus proici. Christianos non debere Iudæis seruire, nec Iudæos causas agere, vel militare.*

IMP. THEODOSIVS, ET VALENTINIANVS  
Cæsar Amatio v. INL. Præfecto  
præt. Galliarum.

C. Th De  
Episcopis  
&c. L. 47.

**P**Riuilegia Ecclesiarum, vel clericorum omnium, quæ sæculo nostro tyrannus inuiderat, prona deuotione reuocamus. Scilicet vt quicquid

à diuis principibus constitutum est, vel quæ singuli quique Antistites impetrarunt, iugi solidata æternitate seruentur, nec cuiusquam audeat titillare præsumptio. in quo nos nobis magis præstitum confitemur. Clericos etiam, quos indiscretim ad sæculares iudices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, Episcopali audentiæ reseruamus, his manentibus quæ circa eos sanxit antiquitas. Fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. Inlustris itaq; auctoritas tua omni æuo mansura quæ iustissimus, in prouinciarum missa notitiam, præcipiet etiam sub pœna sacrilegij custodiri. specialiter id inlustribus comprehensura præceptis, vt in omnibus circa Ecclesiastica priuilegia veterum principum statuta seruentur. Diuersos verò Episcopos, ne



farium Pelagiani & Cælestiani dogmatis errorem sequentes, per Patroclum sacrosanctæ legis Antistitem præcipimus cõueniri. Quos quia confidimus emendari, nisi intra viginti dies ex conuentionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, seseque catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco sacerdotium fidelius subrogari. quatinus præsentis erroris macula de populorum animis tergeatur, & futuræ bonum disciplinæ iustioris instituat. Sanè quia religiosos populos nullis decet superstitionibus deprauari, \* Manichæos, omnesque hæreticos, vel schismaticos, siue mathematicos, omnemque sectam catholicis inimicam, ab ipso aspectu urbium diuersarum exterminari debere præcipimus, vt nec præsentia quidem

C. Th. De  
hæreticis  
L. 64.

dem criminoforum contagione fœdentur. Iudæis quoque, vel paganis, causas agendi vel militandi licentiam denegamus. Quibus Christianæ legis nolumus seruire personas, ne occasione dominij sectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur personas erroris infausti iubemus excludi, nisi his emendatio matura subuenerit. Data vii. Idus Iulias, Aquileiæ. Coss. Theodosio Augusto xi. & Valentiniano Cæsare.

## VII.

*Vt exceptis quinque solitis criminibus, aliorum omnium rei carceris custodia propter Paschalem solennitatem liberentur.*

IMP. P. P. VALENTINIANVS, THEODOSIVS,  
& ARCADIVS A. A. A. ad Eutropium  
Præfectum præ.

**P**Lacida beneficia lenitatis, Dei  
omnipotentis arbitrio com-

moti, pro felicitate sæculi publicamus: vt illos, quos imminentis supplicij terror exagitat, insperatæ miserationis indultio, securitati perpetuę restitutos, ad communis vitę gaudia, depulsa culparum acerbitate, perducatur: vt nouę reparationis luce perfusi, melioris vitę teneant nouitatem. Ideo denique pro festiuitate Paschali, quam communi & præcelsa professione veneramus, noxas remittimus: vt ij quos mansuetudinis nostrę indulgentia liberauit, melioris instituti præcepta sectantes, nihil periculosum audeant perpetrare, Eutropi parens carissime atque amantissime, Exceptis his, quos quinq; immanitas criminum minimè patitur relaxare, ceteros carceris custodia liberatos statui pristino restituat, vt communi traditi libertati concessę securitatis gratia perfruantur.

## VIII.

*Vt præter quinque capitalia crimina, omnes rei, quos Paschalis solennitas in carcere inuenerit, dimittantur pro gaudio & ueneratione tantę festiuitatis.*

IMPPP. VALENTINIANVS, THEODOSIYS,  
& Arcadius AAA. Antiochino.

**S**Tudiis nostrę serenitatis, quibus etiam præter consuetudinem statutę atque annuę lenitatis, ad propagandas ex more indulgentias naturali beneficio semper animamur, desideratum bonis mentibus tempus adhæret. Neque enim aliâs magis talibus beneficiis imperatoriam decet æquare pietatem, quàm cum toto penitus orbe terrarum sacer dies festiua solennitate reparatur. Et nos quidem, præter hanc velut indictam, & maioribus traditam, pro religionis obseruatione clementiam, liberandis penę

omnibus, quos legum feueritas strinxerit, effusa penitus humanitate, opera sacra mentis exferimus. Quin per omne hoc quod inter venerandos & celebres dies medium fuit tempus, ceteris leuamus, exilio soluimus, à metallo abstrahimus, deportationibus liberamus. cùm satis constet nullum propè diem esse, quo non aliquid clemens sanctúmque iubeamus. censentes nos etiam damnum quoddam horarum pati, si qui liberetur nullus occurrerit. Ex quo apparet, properatò nos semper arripere istam necessariam exsoluendis, quatenus tamen iusta humanitas patitur, legibus sanctimoniam. quámque continuamus omnibus temporum metis, esse voluntariam. Neque enim conuenit, inter festiuas ceremonias, & venerabiles sacri temporis ritus, strepere infelicium dissonas voces, trahi ad

communem misericordiam horrentes passis feraliter crinibus reos, audiri tractos ex imo pectore gemitus. cùm utique bene sibimet sacra & læta conueniant, & non deceat inter serena votorum, ac dicatas æterno numini pias voces, aliquid triste sentire, audire, conspicere. Vnde notam beneficiis nostris non suppressimus lenitatem. Aperimus quin etiam carcerem, vincula deponimus, impexos tenebræ pædore custodiæ crines decenter amouemus. eripimus omnes feralibus pœnis, præter eos, quibus pro magnitudine scelerum non decet subueniri. Habeant illa generalibus excepta indulgentiis crimina suum fatum, vt competens maiorum scelerum reos exitus teneat. Nullius nos manibus in absoluendis iniuriam faciemus homicidis: nullius inultos toros remisso adulteriorum ac talium

scelerum supplicio deseremus : causam quæ latè tenditur maiestatis integram reseruamus. non aliquos in astra peccantes, non venenarios aut magos, non falsæ monetæ reos absoluendorum felicitati cōnectimus. Si quidem digni non sunt festiuæ lucis usura, à quibus grauiora commissa sunt, quàm prudens solet liberare clementia: Et ne diutius in hac criminum serie latior versetur oratio, exceptis solitis quinque criminibus, alios relaxamus, Antiochine carissime ac iucundissime. Quocirca spectabilitas tua nostræ mansuetudinis scita quantocius iubebit impleri, vt velocius læta propagentur, atque in communi omnium celebritate suspendi quicumque merentur absolui. Data x. Kalendas Maias Constantinopoli. Honorio nobilissimo puero, & Euodio Coss.

## IX.

*Vt damnatos ab Episcopis clericos, & ab Ecclesia segregatos, curia sibi vindicet.*

IMPP. ARCADIVS ET HONORIVS AVGG.  
Theodoro II. Præf. prætorij.

**V**Tinam quidem hi tantum clericorum nomen induerent, quorum in deteriore partem relabi vita non possit. Esset lætitia communis, & facilè pios ritus cultusque diuinos veneratio humana sequeretur. Sed facilè vitia subripiunt, vt illuc etiam error inrepat, vbi esse nisi pura non possunt. Et si censura iudicij sacerdotalis in specula prouideat, vt inter bonos non sint qui boni esse non possunt: ne tamen crimina deprehensa luxurient, & sit libera peccantibus pertinacia, placet vt \* quemcumque clericum indignum officio

C. Th. De  
Episcopis  
& c. l. 39.

fuo Episcopus iudicauerit, & ab Ecclesiæ ministerio segregauerit, aut si qui professum sacræ religionis obsequium sponte dereliquerit, continuò eum curia sibi vindicet, vt liber illi ultra ad Ecclesiam recursus esse non possit, & pro hominum qualitate, vel quantitate patrimonij, vel ordini suo, vel collegio ciuitatis adiungat. modò vt quibuscumque apti erunt publicis necessitatibus obligentur, ita vt concludio quoque locus non sit. Vt per singulos binæ libræ auri inferendæ ærario nostro à decem primis curialibus exigantur, si alicui inlicitam conhibentiam & concludia fœda præstiterint. Omnisque hominibus improbissimis ab omnibus officiis militiæ aditus obstruatur. Nusquam enim fidi esse possunt, quos infideles Deo summo Ecclesia refutauerit, Theodore parens carissime atque

amantissime. Quod inlustri magnificentia tua in omnium notitiam datis ad singularum iudices prouinciarum literis faciet peruenire, vt vniuersis id proposita solenniter edicta declarent. Data v. Kalendas Decembris, Rauennæ. Basso & Philippo  
VV. CC. CONSS.

## X.

*Vt clerici cum extraneis feminis non habitent: & sacrarum virginum raptores deportatione plectantur.*

IMPP. HONORIUS ET THEODOSIUS  
AA. Palladio Præfecto præt.

**R**eligiosi sacerdotis fida suggestio exigit probabilem sæculo disciplinam. Agit enim bonis moribus, ne clerici sacris ministeriis seruietes feminis iungantur externis, quas decolore consortio sororiæ ap-

pellationis excusant. Credimus quidem hanc deuotis mentibus Dei inesse reuerentiam, vt diuersorij huius habitaculum conscientia prauæ persuasionis ignoret. Sed hac societate, seu amicitia non penetret, fama contaminat, datq; sinistris rumoribus locum alterni sexus adiunctio, cum foris positos, ac publico iure viuentes, ad inlecebram criminis trahit obscenæ suspensionis exemplum. Quæ cum ita sint, inlustris & præcellsa magnificentia tua præsentis oraculi sanctionem propositis vbique diuulget editis, vt \* nouerint cuncti, qui cuiuscumque gradus sacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia. hæc sibi tantum facultate concessa, vt matres, filias, atque germanas, intra domorum suarum septa contineant. In his enim

C. Th. De  
Episcopis  
& c. l. 44

nihil scæui criminis æstimari fœdus naturale permittit. Illas etiam non relinqui castitatis hortatur affectio, quæ ante sacerdotium maritorum legitimum meruere coniugium. Neque enim clericis incompetenter adiunctæ sunt, quæ dignos sacerdotio sui conuersatione fecerunt. Illam verò desiderij partem legum quoque præeuntium scita solidarunt, vt \* quisquis dedicatam Deo virginem prodigus sui raptor ambierit, publicatis bonis deportatione plectatur: cunctis accusatiouis huius licentia absque metu delationis indulta. Neque enim exigi conuenit proditorem, quem pro pudicitia religionis inuitat humanitas. Data viii. Idus Maias Rauennæ d. n. Theodosio Aug. ix. & Constantio III. v. c. CONSS.

C. Th. De  
raptu vel  
matrim.  
sanctim.  
virg.

## XI.

*A quibus oneribus Ecclesie habeantur  
immunes.*

IMPP. HONORIVS ET THEODOSIVS  
Augg. Melitio Præf. prætorij.

**R**ECTÈ clementiam nostram, sacrosanctæ religionis obsequiis deuotis adfuitatibus seruientem, ad confirmationem priuilegiorum quæ Ecclesiis dicauit vetustas, magnificentiæ tuæ suggestio religiosa commonuit: vt temerariorum hominum conatibus penitus oppressis, quibus studium est Christianam innocentiam semper appetere, eam nostri formam sanciamus arbitrij, cui deinceps nullus impune refragator existat. \* Placet igitur, rationabilis consilij tenore perpenso, quoniam remedia confusa nequissimis ausibus

C. 7h. De  
Episcopis  
& c. L. 40.

viam relinquunt, districta moderatione præscribere à quibus specialiter necessitatibus Ecclesiæ urbium singularum habeantur immunes. Primò quippe illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsibus cælestium secretorum dicata fordidorum munerum fasce vexentur. Nulla iugationem talium priuilegiorum sorte gratulantem muniendi itineris constringat iniuria. nihil extraordinarium ab hac vel superindictitium flagitetur: nulla pontium restauratio, nulla translationum sollicitudo gignatur. Non aurum ceteraque talia poscantur. Postremò nihil, quod præter canonicam inlationem aduentitiæ necessitatis sarcina repentina depoposcerit, eius functionibus adscribatur. Vacent Ecclesiæ solis, quibus bene consciæ sunt, diuinæ prædicationis officiis. cuncta in ora-

tionibus celebrandis horarum omnium momenta consumant. Gaudeant nostra in perpetuum liberalitate munitæ, quarum nos erga cultum pietatis æterna deuotione gaudemus. Quapropter sublimis magnificentia tua, religiosis motibus in huiuscemodi negotio nobiscum decenter adcinctæ, oraculi præsentis atque in omne æuum perpeti firmitate duraturi serie comperta, roboratis omnibus quæ sacrosanctæ venerationis intuitu huiusce sanctionis auctoritate præscribimus, prouinciarum iudices scriptis currentibus admonebit, quo euidenter agnoscant vniuersos, qui deinceps temerariæ præsumptionis adnifu in iniuriam Ecclesiarum nostrique præcepti aliquid fortasse tentauerint, seuerissima interminatione quatiendos. ita vt in talibus deprehensi, contumacia feruente

peccati, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, exilio perpetuæ deportationis vtantur. Data VIII. Kalendas Iulias, Rauennæ. DD. NN. Honorio IX. & Theodosio Aug. IV. Coss.

## XII.

*Aduersus hæreticos, & gentiles. & de utrorumque ædificiis atque templis ad usum publicum vindicandis.*

IMPP. HONORIUS ET THEODOSIUS  
Augg. Curtio Præf. prætorij.

**P**Rofanos hæreticorum spiritus, superstitionemq; gentilium, vel sola quidem religiosorum virorum sacerdotum Dei in obseruandis sollicitudo criminibus, sedulitas in monendo, auctoritas in docendo, emendare debuerat. Nec nostrarum tamen legum scita cessarunt, quæ in Dei



omnipotentis cultum, pœnæ etiam terrore proposito, reducerent deuiantes, ignaros quoque in ministeria diuina formarent. Sed nimirum ipsa vis mali, humana pariter ac diuina permiscens, deceptos plerisque persuasionibus prauis, tam in præsens, quam in futurum impellit exitium: & Deo simul ac nobis perdit infeliciam vitas, quas & hîc legibus dedit, & illic cogit ferre iudicium. Compulsi igitur Donatistarum pertinacia, furore gentilium, quæ quidem mala desidia iudicium, conhibentia officiorum, ordinum contemptus accendit, necessarium putamus iterare quæ iussimus. Quapropter omnia quæ in Donatistas, qui & Monteses vocantur, Manichæos, siue Priscilianitas, vel in gentiles, à nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, non solum manere decernimus, verum

Th. De  
Hæreticis  
L. 43.

verum in executionem plenissimam effectumque deduci. Ita vt ædificia quoque, vel horum, vel cælicolarum etiam, qui nescio cuius dogmatis noui conuentus habent, Ecclesiis vindicentur. Pœna verò lege proposta velut conuictos tenere debebit eos, qui Donatistas se confessi fuerint, vel catholicorum sacerdotum scæuæ religionis obtentu communionem refugerint, quamuis Christianos se esse simulent. Iam verò \* templorum detrahantur annonæ, & rem annonariam iuuent expensis deuotissimorum militum profuturæ. Simulacra, si qua etiam nunc in templis fanisque consistunt, & quæ aliquem ritum vel acceperunt, vel accipiunt paganorum, suis sedibus reuelantur, cum hoc repetita sciamus sæpius sanctione decretum. Ædificia ipsa templorum, quæ in ciuitatibus,

C. Th. De  
paganis  
&c. L. 19.

vel oppidis, vel extra oppida sunt, ad vsum publicum vindicentur. aræ locis omnibus destruantur, omniâque templa in possessionibus nostris ad vsus adcommodos transferantur, domini destruere cogantur. Non liceat omnino in honorem sacrilegi ritus funestioribus locis exigere conuiuia, vel quicquam solennitatis agitari. Episcopis quoque locorum hæc ipsa prohibendi Ecclesiasticæ manus tribuimus facultatem. Nam & agentum in rebus executionem, Maximi, Æliani, Eutychi, vt ea quæ generalibus legibus contra Donatistas, Manichæos, atque huiusmodi hæreticos, vel gentiles statuta sunt impleantur, indulgimus. Qui tamen scient in omnibus modum statutorum esse seruandum, vt ea quæ contra vetitum videntur esse commissa, mox Iudicibus iuxta vim legum de-

ferant vindicanda. Quos quidem viginti librarum auri pœna statutæ dudum multæ constringet, pari multa officii ordinibusque proposita, si hæc quæ statuimus eorum fuerint dissimulatione neglecta, Curti parens carissime atque amantissime. Quod ad continendos hominum mores religionemque prouisum, & ad rectores prouinciarum sublimis magnificentia tua faciet peruenire, & digno per omnes iubebit vigore seruari. Data VIII. Kalendas Decembris, Romæ. Proposita Carthagine in foro, sub programme Porfyri Proconsulis, Nonis Iuniis. Basso & Philippo vv. cc. CONSS.



## XIII.

*De confugientibus ad Ecclesias, ut quinquaginta passibus extra fores securi sint. Et ut Episcopo carceres visitanti liber aditus pateat.*

IMP. HONORIVS ET THEODOSIVS  
Pij Augg. \* \*

**C**onuenit nostris præfata temporibus ut iustitiam inflectat humanitas. Nam cum plerique vim fortunæ sæuentis aufugerint, atque Ecclesiasticæ defensionis munimen elegerint, patiuntur inclusi non minorem quàm vitæ custodiam. Nullis enim temporibus in luce vestibuli eis aperitur egressus. Atque ideo quinquaginta passibus ultra basilicæ fores Ecclesiasticæ venerationis sanctitas inhærebit. Ex quo loco quisquis tenuerit exeuntem, sacrile-

gij crimen incurrat. Nihil enim confugientibus miserationis impenditur, si aura liberior negatur afflictis. Eam quoque sacerdoti concedimus facultatem, ut carceris ope miserationis aulas introeat, medicetur ægros, alat pauperes, consoletur infantes: & cum singulorum causas cognouerit, interuentiones suas apud iudicem competentem suo iure moderetur. Scimus enim, idque crebris aditionibus supplicantium, frequenter ideo plerosque in custodia detrudi, ut ad eundi iudicis libertate priuentur: & cum semel cœperit humilior persona pati custodiam, antequam causa sciatur, iniuriæ pœnam sustinere compellitur. Confestim duas auri libras fisco nostro contumax soluet officium, si sacerdotem negotia tam sancta curantem ianitor feralis excluderit. Data xi. Kalendas Decem-

bres, Rauennæ. Monaxio & Plenta  
vv. cc. Consulibus.

XIV.

*De Episcopis in Africa vexatis. ut capitali  
sententia deinceps in eos vindicetur, qui  
Ecclesiis, vel Episcopis ac ministris, iniu-  
riam intulerint.*

IMPP. HONORIVS ET THEODOSIVS  
Augg. Theodoro viro inl. Præ-  
fecto prætorij.

**D**Ubbium non est conhibentia  
iudicum fieri, & culpabili dis-  
simulatione inultum relinqui, quod  
ad turbendam quietem publicam, in  
contemptum Christianæ religionis,  
quam debito cultu veneramus, sub  
publica restificatione commissum  
addiscimus, & pariter non punitum.  
Vicina peccato in iudice dissimula-  
tio est, quem ignoratio commissi cri-

minis non defendit. Per prouinciam  
Africam tantum quorundam teme-  
ritati licuisse comperimus, vt Chri-  
stianæ legis Antistites, de propriis  
domibus raptos, vel quod est atro-  
cius, de Ecclesiæ catholicæ penetra-  
libus protractos, cruciatibus diuersis  
afficerent: alios ad solam diuini cul-  
tus iniuriam, auulsa capillorum par-  
te scædatos, vel alio iniuriæ genere de-  
formatos, concurrentium speculis ex-  
hiberent. vt esset circa eos venia gra-  
uior, quorum salutis cōtemptus igno-  
uerat. Tanti sceleris nefas, & inma-  
ne flagitium, nunquam antè comper-  
tum, Africanorum iudicum auctori-  
tas, nec creditæ sibi potestatis iure  
persequitur, nec debita cura referendi  
in nostram facit notitiam peruenire.  
Ignorari ab his potuisse non credi-  
mus, quod commissum in ciuitatibus  
publicè memoratur: quod iugi & ma-

gistratum & ordinum cura, stationarij apparitoris sollicitudo, quæ ministra est, nuntiorumque indicium, absentia exhibit potestatum. Licet enim insinuare leuia, grauiora reticere, non tacuisse quod propriis innotescere rectoribus per alterum formidarent, nisi intelligerent nolle iudicem vindicare. Expectandum fuit institutis accusationibus, contra professionis propriae sanctitatem, vt Episcopus suas persequeretur iniurias, & reorum nece deposcerent ultionem, quos inuitos decet vindicari. Deducitur in hanc necessitatem venia persuasor aliena, praceptor indulgentia, vt de se non ipse tractasse videatur, quod & petenti alius non negaret, aut praceptoris obsecuturus sacerdotij criminorum impunitati subiaceat. Episcopos, & alios Ecclesiae catholicae ministros, nisi vigor po-

testatum & fides iudicum laudabili auctoritate tueatur, erunt addicti audaciae pessimorum. Quapropter iubemus, vt eos qui talia commisisse dicuntur, diuersorum per Africam iudicum sine innocentum laesione requirat auctoritas, ac proprio exhibitos examini, si conuinci manifesta probatione cognouerit, cuiuslibet dignitatis & honoris reos probatos, aut metallo tradat, aut poenam deportationis subire compellat, facultatibus eorum fisco nostro sociatis. vt habeant vitam sibi clementiae nostrae more concessam, quae similibus non donabitur tempore futuro criminibus. Siquidem praesentis legis aeternitate cunctis obseruandum constituimus, Theodore parens carissime atque amantissime, quod illustri magnificentiae tuae praelatum literis, proponendum edictis, in om-

nium volumus notitiam peruenire, vt si quisquam in hoc genus sacrilegij protuperit, vt in Ecclesias catholicas inruens, sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui locoque, aliquid importet iniuriæ, quod geretur literis ordinum, magistratum, & curatoris, & notariis apparitorum, quos stationarios appellant, deferatur in notitiam potestatum. ita vt vocabula eorum, qui agnosci potuerint, declarentur. & si per multitudinem commissum dicitur, si non omnes, possunt tamen aliquanti cognosci, quorum confessione sociorum nomina publicentur. Atque ita prouinciae moderator, sacerdotum & catholicae ministrorum, loci quoque ipsius & diuini cultus iniuriam, capitali inconuictos vel confessos reos sententia nouerit vindicandam. Nec expectet vt Episcopus iniuriæ propriae vl-

tionem deposcat, cui sacerdotij sanctitas ignoscendi solam gloriam derelinquit. Sitque cunctis non solum liberum, sed etiam laudabile, factas sacerdotibus vel ministris atroces iniurias, velut crimen publicum persequi, ac de talibus reis ultionem mereri. vt hac saltem ratione, quod agi aduersum se per Episcopum non posse confidit, ex aliorum accusationibus malorum audacia pertimescat. Et si multitudo violenta ciuilibus apparitionis executione, & adminiculo ordinum possessorumue, non poterit presentari, quod se armis, aut locorum difficultate tueantur, Iudices Africani armatae apparitionis praesidium, datis ad virum spectabilem Comitem Africae literis, praelato legis istius tenore deposcent, vt rei talium criminum non euadant. Et \* ne Donatistae, vel ceterorum vanitas ha-

reticorum, aliorumue eorum, quibus catholice communionis cultus non potest persuaderi, Iudæi, atque gentiles, quos vulgo paganos appellant, arbitrentur legum antè aduersum se datarum constituta tepuisse, nouerint iudices vniuersi præceptis earum fidei deuotione parendum, & inter præcipua curarum quicquid aduersus eos decreuimus exequendum. Si quisquam iudicum peccato conhibentię, dissimulandi arte, executionem præsentis legis omiserit, amissa dignitate grauiorem motum se nostre clementiæ subitarum. officium quoq; suum, quòd salutis proprię contempta suggestionem defuerit, punitis tribus primatibus, condemnationi viginti librarum auri subdendum. ordinis quoque viri, si in propriis ciuitatibus vel territoriis commissum tale aliquid siluerint gratia obnoxiorum, depor-

tationis pœnam, & propriarum amissionem facultatum se nouerint subituros. Data xviii. Kalendas Februar. DD. NN. Honorio ix. & Theodosio v. Coss. Rauennæ.

## XV.

*Eos infamia notam subire, qui obiecta clericis crimina probare non possunt.*

IMPP. HONORIVS ET THEODOSIVS  
ad Melitium virum inlustrem  
Præfectum prætorij.

**N**ON cassum veterum prudentia constituit, quod adpetitam innocentiam solaretur, & purgatis reperit vltionem, ne libera calumniantis intentio infontes affligeret. Terret quidem reum proposita pœna criminibus: sed facit accusatorem vindictę contemplatio cautioem, ne quisquam solis aliquando inimicitarum

stimulis incitatus ingerat non probanda iudicibus. Quæ fori æquitas, responsis veterum & legum nostrarum æternitate solidata, cunctis est delata personis, debet clericis nunc prodesse, quos non nisi apud Episcopos conuenit accusari. Quibus nihil conuenit habere commune: ne cultus venerabilis sacerdos, & Christianæ legi dicatus minister, quibus intuitu religionis maior quam ceteris talibus reuerentia deferenda est, securo calumniantis arbitrio, cuiuslibet criminis nondum probata obiectione maculetur: & talibus personis, quibus dignum est detulisse pro merito, peccatum iniuria fieri & sine ultione illicitè patiamur. Quapropter placituræ omnibus legis æternitate sancimus, vt \* si Episcopus, vel presbyter, diaconus, & quicumque inferioris loci Christianæ legis minister, apud Epi-

scopos, siquidem alibi non oportet, à qualibet persona fuerit accusatus, siue ille sublimis vir honoris, siue cuiuslibet alterius dignitatis, qui hoc genus miserandæ intencionis arripiat, vt homo peccatis aliquibus vel criminibus pollutus, mentiendo probatos obsequio, vel locum tenentes sacerdotij, vel diuinis seruietes mysterijs dilaceret, nouerit docenda probationibus, monstranda documentis se debere deferre. In qua si est culpa minister religionis, vitæ suæ pollutione remouendus, sacris non potest interesse secretis. At si huius est vesania, quæ nullis fulta probationibus composita criminatione talium virorum adpetisse propositum videatur. si quis igitur circa huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intelligat se iacturæ famæ propriæ subiacere: vt damno pudore



ris, existimationisque dispendio, discat sibi alienæ verecundiæ impune insidiari saltim de cetero non licere: Nam sicut Episcopos, presbyteros, diaconos, ceterosque, si his obiecta comprobari potuerint, maculatos ab Ecclesia venerabili æquum est remo- ueri, ut contempti post hæc, & misere humilitatis inclinati despectu, iniuriarum non habeant actionem: ita similis videri debet iustitiæ, quod appetitæ innocentia moderatam deferri iussimus ultionem. Ideoque huiusmodi duntaxat causas Episcopi sub testificatione multorum actis audire debebunt. Data Idibus Decembris, Rauennæ. Honorio ix. & Theodosio v. Augustis Coss.



XVI.

## XVI.

*Lex qua redemptos de captiuitate iubet aut restituere pretium, aut si pauperes sunt, quinquennio redemptoribus suis obsequi.*

IMP. HONORIVS AD THEODORVM  
V. IN L. Præf. prætorij.

**P**Vnitis auctoribus mali publici, lætorum quidem dolori dedimus ultionem: sed provincialibus nostris libertatis restituendæ festinatione sentimus vno eodemque tempore armis & legibus consulendum. Hinc denique bellorum curis mixta ratio, & salubris constitutio admonuit faciendum, ut \* diuersarum homines

C. Th. De  
postlimi-  
nio. l. 2.

provinciarum, cuiuslibet sexus, conditionis, ætatis, quos barbaricę feritatis discursus captiua necessitate transfuderat, inuitos nemo retineat: sed ad

D

propria redire cupientibus libera sit facultas. Quibus si quicquã in vsum recuperandarum virium, vestium vel alimonix dicatur impensum, humanitati sit prestitum: nec maculet boni facti gloriam auara victualis sumptus repetitio, cum forsitan alimonix istius mercedes operarum reddiderit compensatio. Quod in examen venire non patimur, ne ad propria redire cupientes indecoris contentionibus retardentur. Exceptis his, quos quis barbaris vendentibus emisse docebitur, à quibus status sui pretium, propter vtilitatem publicam, emptoribus æquum est redhiberi: ne ingentis damni consideratio in tali necessitate positus negari faciat emptionem; & inueniamur quorum libertati consuli volumus, saluti potius obfuisse. Hos decet aut datum pro se pretium emptoribus restituere, aut labore, ob-

sequio, vel opere quinquennij, vicem referre beneficij, habituros incolumem, si in ea nati sunt, libertatem. Nec honestas emptoribus quinquennij tempus, ad compensationem maioris forsitan pretij datum, ingemiscat exiguum: quia humanæ vitæ fragilitas forrè intra metas potest temporis constituti deficere, nec ad legis beneficium peruenire. Credant saltem perditum casibus, quod humanitate detulerint: licet humana misericordia, Deo iudice, quod alteri tribuit sibi præstet. Quapropter seruata definitione legis, cuius moderationem placere non dubium est, reddantur sedibus propriis, quibus iure postliminij, & veterum responsis prudentium, incolumia cuncta seruata sunt. Quam sanctionem adeo volumus custodiri, vt si quisquam temeritate sacrilega præceptis fuerit conatus obsistere,

actor, & conductor, procuratorque, qui ad tuendam absentis domini possessionem esse detegitur, dari se metallo, aut pœnam deportationis non ambigat subiturum. Si verò possessionis dominus contra mansuetudinis nostræ salubre constitutum venire tentauerit, rem suam fisco nouerit vindicandam, seque per Rectoris prouincię sententiam deportandum. Et vt facilis executio proueniat imperatis, Christianæ sacerdotes, vicinorum & proximorum locorum Ecclesias retinentes, quorum moribus congruit effectus talium præceptorum, curiales quoque proximarum ciuitatum placuit admoneri, vt emergentibus talium necessitatum causis adeant Iudices legis nostræ auxilium petitori. Et ne quis contumacię suę culpam præcepti ignoratione tueatur, Theodore parens carissime at-

que amantissime, inlustris magnificentia tua legis tenorem, literis suis edictis que propositis, ad omnium Iudicum & prouincialium notitiam faciet peruenire. ita vt nouerint Rectores vniuersi, decem libras auri à se, & tantumdem ponderis à suis apparitoribus exigendum, si quod præceptum est in gratiam cuiusquam neglectum esse doceatur: cùm saluberrimæ sanctionis executionem deferri ab omnibus quidem, sed Iudicum maximè & officiorum cura obsequioque iubemus. Data III. Nonas Decembris Rauennæ, Basso & Philippo vv. cc. CONS. Accepta xvi. Kalendas Ianuarias.



## XVII.

*Lex de Theodosiano, sub Titulo xxvii.  
De Episcopali definitione.*

IMP. CONSTANTINVS AVG.

**I**udex pro sua sollicitudine obseruare debet, vt si ad Episcopale iudicium prouocetur, silentium accommodetur: & si quis ad legem Christianam negotium trāsferre voluerit, & illud iudicium obseruare, audiatur. etiamsi negotium apud iudicem sit inchoatum. & pro sanctis habeatur quicquid ab his fuerit iudicatum. Ita tamen, ne vsurpetur in eo, vt vnus ex litigantibus pergat ad supradictum auditorium, & arbitrium suum enuntiet. Iudex enim præsens causæ integrè habere debet arbitrium, vt omnibus accepto latis pro-

CODICIS THEODOS. 55  
nuntiet. Data ix. Kalendas Iulias  
Constantinopoli. Licinio Aug. &  
Crispo Cæsare CONSS.

## XVIII.

*Lex alia de Theodosiano, sub Titulo xxvii.  
De Episcopali definitione, & hoc validior,  
quia omnibus posterior.*

IMP. ARCADIVS, HONORIVS, ET  
THEODOSIVS AAA. THEODORO PP.

**E**piscopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri à sacerdotibus adqueuerint. Cùm enim possent priuati inter cōsentientes etiam iudice nesciente audire, his licere id patimur, quos necessariò veneramur: eamque illorum iudicationi adhibendam esse reuerentiam, quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet prouocare. Per publicum quoque officium, ne sit cassa

L. 8. Cod.  
De Episcopali  
audientia.

cognitio, definitioni executio tribuatur. Data Idibus Decembris, Basilio & Philippo CONS.



*Hucusque codex Ecclesie Lugdunensis. reliqua partim ex Pitheano, partim ex Corbeiensis descripta sunt.*

---

XIX.

*Qui libertum, vel manumissum inquietat, capitali sententia plectendus.*

IMP. HONORIVS AVG. AD  
Constantium V. INL.  
Patricium.

**I**Nter publicas necessitates etiam hoc ad nos volumus pertinere. Si quis libertum emere ut seruum, vel qualibet manumissione donatum inquietare voluerit, non solum bona sua largitionibus nostris iussimus sociari, verum etiam capitali sententia

plecti. Ergo cum id nos indulgisse peruideas, Constanti parens carissime, ad notitiam omnium ordinariorum Iudicum facies peruenire, ut nostro latentur imperio. Vale Constanti parens carissime atque amantissime nobis. Regestum Rauenna die xv. Kalendas Februarias, Honorio Aug. xi. & Constantio iii. CONS.

---

XX.

*De accusatione Episcopi, presbyteri, vel diaconi. & quod obnoxios cum illis ambulantes retinere non liceat.*

IMPP. THEODOSIVS ET VALENTINIANVS  
Augg. ad Virum Præf. prætorij.

**A**Vdemus quidem sermonem facere solito plus timore capti, de sanctis & venerabilibus sacerdotibus, & secundis sacerdotibus, vel

etiam Leuitis, & eos cum omni timore nominare, quibus omnis terra caput inclinat. Audiuius enim perfidiam in Vrbe ad Deum viuum, & imperium nostrum fieri. Sed si quis aulus aut temerarius legi Ecclesiæ, vel clerico, per quos nostrum pollet imperium, audiri voluerit, si accusationem ditior persona protulerit, reposita pœna fisco nostro, id est centum pondo auri, & centum pondo argenti inferre cogatur, & sic cum actoribus Ecclesiæ causam dicat. Si autem infirmior fuerit persona, prius cogitet animo suo percido, & sic accuset, & criminis causam dicat nunquam obrepto patrimonio nostro nescio qua perfidia temptare audeat militantes in palatio Christi terræ curiæ hinc adduci iussimus & manus eius implumbari. Si autem voluerit liberam degere vitam, nihil illi sit

curæ Ecclesiæ catholicæ. De obnoxiiis verò, si qui ambulauerint cum Episcopo, vel cum presbytero, aut etiam diacono, siue in platea, siue in agro, siue in quolibet loco, nullo pacto eos retineri vel adduci iubemus: quoniam in sacerdotibus Ecclesia constat. Data xv. Kalendas Ianuarias. Theodosio x. & Valentiniano III. Augg. Consulibus.

## XXI.

*Lex Honorij aduersus Donatistas, multo quam in vulgatis libris emendatior.*

IMP. P. P. ARCADIVS, HONORIVS,  
& THEODOSIVS AAA. HADRIANO  
Præfecto præt.

**A**Duersarios catholicæ fidei extirpare huius decreti auctoritate prospeximus. ideóque inter di-

cendam specialiter eam sectam noua constitutione censuimus, quæ ne hæresis vocaretur, appellationem schismatis præferebat. In tantum enim sceleris progressi dicuntur ij quos Donatistas vocant, vt baptisma sacrosanctum, semel apud catholicos traditum, mysteriis reculcatis temeritate noxia iterarint, & homines semel vt traditum est munere diuinitatis ablutos contagione profanæ repetitionis infecerint. Ita contigit vt hæresis ex schismate nasceretur. Inde malè credulas mentes ad spem secundæ indulgentiæ blandus error inuitat. Facile est enim persuadere peccantibus, veniam prius præstitam denuo posse præstari. Quæ si concedi iterum eodem modo potest, non intelligimus cur tertio denegetur. Hi verò & seruos, vel homines iuri proprio subditos, itera-

ti baptismatis polluant sacrilegio. Quare hac lege sancimus, vt quisquis posthac fuerit rebaptizasse detectus, Iudici qui prouinciæ præsidet offeratur, vt facultatum omnium publicatione multatus, inopiæ pœnam qua in perpetuum adficiatur expendat. Ita vt filiis eorum, si à paternæ societatis prauitate dissentiant, ea quæ fuerint paterna non pereant. vt si ipsos forsitan sæuitas paternæ deprauationis implicuit, ac reuerti ad catholicam religionem malunt, adipiscendorum his bonorum copia non denegetur. Ea præterea loca, seu prædia, quæ ferilibus sacrilegiis deinceps constiterit præbuisse secretum, fisci viribus applicentur: si tamen dominus, aut domina, aut præsens fortè fuisse, aut consensum præstitisse prodetur. quos quidem iustam etiam per senten-

tiam notabit infamia. Si verò his nesciis, per conductorem procuratorem eorum in domo agitatum huiusmodi facinus comprobatur, præiudicio à prædiorum publicatione suspenso, impliciti sceleris auctores coercitos plumbo exilium, in quo omni vitæ suæ tempore afficiantur, accipiet. Ac ne forsitan sit liberum, conscientiam piacularis flagitij, perpetrati intra domesticos parietes, silentio celare secreto, his qui forsitan ad rebaptizandum cogentur, refugiendi ad catholicam Ecclesiam sit facultas: vt eius præsidio aduersus huius criminis & societatis auctores, attributæ libertatis præsidio defendantur. liceátque his, sub hac conditione fidem tueri, quam extorquere ab inuitis domini tentauerint. Nec adsertores dogmatis catholici ea, qua ceteros qui in potestate sunt po-

siti, oportet ad facinus lege constringi. & maximè conuenit omnes homines, sine vllò discrimine conditionis aut status, infusæ cœlitus sanctitatis esse custodes. Sciant ij verò, qui ex supradictis sectis iterare baptismum non timuerint, aut qui consentiendo hoc facinus propriam huius societatis permixtionem damnauerint, non solum testandi sibi, verum adipiscendi aliquid, sub specie donationis, vel agitandorum contractuum, in perpetuum copiam denegatam, nisi prauæ mentis errorem reuertendo ad veram fidem consilij emendatione correxerint. Illos quoque par nihilominus pœna constringat, qui memoratorum interdictis cœtibus, seu ministeriis præbuerint conhibentiam. ita vt moderatores prouinciarum, si in contemptum sanctionis huiusce consensum putauerint com-




64 APPENDIX COD. THEOD.  
modandum, sciant se viginti libra-  
rum auri pœna esse multandos. offi-  
cia etiam sua simili condemnatione  
subiuganda. Principales vel defen-  
sores ciuitatum, nisi id quod præcipi-  
mus fuerint persecuti, vel his præsen-  
tibus Ecclesiæ catholicæ vis fuerit  
inlata, eadem multa se nouerint ad-  
tinendos. Data prid. Idus Februar.  
Rauennæ. Stilicone II. & Anthemio  
Coss.

CONCILIORVM  
ITALIÆ

ANNO CHRISTI CCCXXCI.

EPISTOLÆ V.

AD GRATIANVM, VALENTINIANVM,  
ET THEODOSIUM IMPÉRATORES.



CON-



## EPISTOLA I.

Concilij Aquileiensis ad Gratianum  
Imperatorem.

*Ne aures præbeat Vrsicino, qui Romanam  
sedem repetere moliebatur.*

IMPERATORIBVS CLEMENTISSIMIS,  
& principibus Christianis, gloriosissi-  
mis ac beatissimis Gratiano, Valenti-  
niano, Theodosio, sanctum Concilium  
quod conuenit Aquileiæ.

**R**OVISVM est quidem,  
clementissimi principes,  
vestræ tranquillitatis sta-  
tutis, ne Arrianorum per-  
fidia vlteriùs possit latere vel serpe-  
re. Etenim effectum Concilij de-  
cretis putamus minimè defuturum.  
Sed tamen, quantum ad partes spe-  
ctat Occidentis, duo tantùm reperti

sunt, qui audent profanis & impiis vocibus obuiare Concilio, iuxta angulum ripensis Daciae turbare consueti. Aliud est quo magis angimur, de quo quoniam conuenimus fuit rite tractandum, ne totum corpus posset Ecclesiae toto orbe diffusum, & vniuersa turbare. Nam licet frequenter compererimus Vrsinum non potuisse obrepere pietati vestrae, quamuis quietum nihil esse patiatur, & inter bellicas necessitates obreptio importuna tentetur: tamen ne sancta mens vestra animique tranquillitas, quae omnibus consulere gestit, importuni hominis simulata adulatione flectatur; deprecandos vos & obsecrandos, si dignanter ducitis, aestimamus: non solum praecauentes futura, sed etiam praeterita, quae iam ipsius temeritate gesta sunt, perhorrescentes. Nam si aliquam viam nactus

fuerit audaciae, quid non ille confundat? Sed si vnus miseratio inflectere potest, multo magis vos precatio omnium moueat sacerdotum. Quis enim nostrum ei communionis societate iungetur, cum indebitum sibi gradum usurpare conatus, nec iure ad eum potuerit peruenire, & quem importune affectauit, importunissime repetere moliat? Turbarum totiens damnatus incessit adhuc tamen, quasi praeteritis non perhorrescedus exemplis. Quid quod, plerique sicut in hoc Concilio cognouimus, & vidimus, cum Arrianis copulatus atque coniunctus erat eo tempore, quo turbare Mediolanensem Ecclesiam coetu detestabili moliebantur, cum Valente nunc ante Synagogae fores, nunc in Arrianorum domibus, miscens occulta consilia, & suos iungens. & quoniam ipse aperte in eorum congrega-

Tit. 17.  
L. 10. 11. 10

tiones prodire non poterat, instruens & informas quemadmodum pax Ecclesie turbaretur? Quo furore sperabat, quod eorum posset fautores & socios emereri. Cum igitur scriptum sit, *Hereticum post unam correctionem deuita.* cum & alius vir sancto locutus spiritu dixerit declinandas huiuscemodi bestias, nec salutatione recipiendas atque congressu: quomodo fieri potest, ut eum, quem societati eorum insertum vidimus, non etiam assertorem perfidie iudicemus? Quod etiam si de foret, tamen totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam fidem Apostolorum ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. Inde enim in omnes venerandae commotionis iura dimanant. Et ideo petimus & rogamus, ut obripiendi ei adimere dignemini facultatem. Scimus

clementiae vestrae sanctum pudorem. Ne auditu vestro indigna ingerat, non aliena ab officio & nomine sacerdotis interstreat, non inuerecunda vobis loquatur. Quae cum habere oportuerit testimonium etiam ab his qui foris sunt, quali testimonio ciues proprii persecuti sint, clementia vestra meminisse dignetur. Pudet enim dicere, inuerecundum est recensere, quam turpis fama eum conuitio fauciauerit. Quo saltem pudore perstrictus conticescere debuisset. & si haberet aliquam conscientiam sacerdotis, pacem Ecclesiae concordiamque ambitioni suae & studio praeparet. Verum longe alienus ab omni verecundia, per abscisum hominem Paschasium signiferum furoris sui missis literis, ferit turbas, gentiles quoque & perditos concitare conatur. Oramus ergo, ut iam & populo Romano, qui

post relationem Praefecti Urbis pendet incertus, & nobis sacerdotibus securitatem interdictam importunissimi hominis abiectioe tribuatis. Quo impetrato, apud Deum omnipotentem patrem, & Christum dominum eius filium, gratias iugi continuatione celebremus.

EPISTOLA II.

Concilij Aquileiensis ad Theodosium Imperatorem.

*Et Concilium Alexandria fieri iubeat propter  
Timotheum Episcopum, qui aliquarum  
dissidiiis urgebatur.*

IMPERATORIBVS CLEMENTISSIMIS,  
Christianisque & gloriosis beatissimis-  
que principibus, Gratiano, Valenti-  
niano, & Theodosio, sanctum Conci-  
lium quod conuenit Aquileia.

**Q**uamlibet redundatibus actio-  
nibus gratiarum, nequaquam

tamen possumus beneficia vestre pie-  
tatis æquare, Imperatores clementis-  
simi, beatissimi & gloriosissimi prin-  
cipes, Gratiane, Valentiniane, & Theo-  
dosi, dilecti Deo patri, & filio eius do-  
mino nostro IESU Christo. Nam cum  
post multa tempora, & persecutiones  
varias, quas catholicis intulerant Ar-  
riani, maximeque Lucius ille mona-  
chorum & virginum impia cæde graf-  
fatus, atque Demophilus dirum per-  
fidie caput, omnes Ecclesie Dei per  
Orientem catholicis restitutæ sint, in  
Occidentalibus autem partibus vix  
duo hæretici, qui obuiare possent  
sancto Concilio, sint reperti, quis est  
qui putet se gratiarum vestrarum fo-  
re idoneum relatores? Sed tamen si  
beneficia vestra verbis explicare non  
possumus, qui & si per singulas quas-  
que Ecclesias viritim quotidianas  
apud Deum nostrum, pro imperio &

pro pace ac salute vestra celebremus excubias; tamen conducti in vnum, quo munere nihil esse pulcrius opinamur, Deo nostra omnipotenti gratias agimus, quòd per vos nobis pax & concordia sit refusa. Equidem per Occidentales partes duobus in angulis tantum, hoc est in latere Daciæ ripensis ac Mœsiæ, fidei obstrepi videbatur. Quibus tamen nunc post Concilij sententiæ vestræ fauore clementiæ opinamur illico consulendum. Per omnes autem tractus atque regiones, \* æthnicorum claustris vsque ad oceanum, manet intemerata fidelium atque vna communio. In Orientalibus autem partibus cognouimus quidem, summo gaudio atque lætitiâ, eiectionis Arrianis, qui Ecclesias violenter inuasent, sacra Dei templa per solos catholicos frequentari. Sed tamen, quoniam inuidia diaboli nun-

quam quiescere solet, inter ipsos catholicos audimus crebras dissensiones esse, impacatamque discordiam. totòque confundimur effectu, quòd innouata pleraque comperimus, eosque grauari nunc, quos oportuit adiuuari, qui in nostra semper communionem durabant. Denique Alexandrinæ Ecclesiæ Timotheus Episcopus, sed & Antiochenæ Paulinus, qui semper communionis nobiscum intemeratam habuere concordiam, dissensionibus aliorum, quorum fides superioribus temporibus hæsitabat, feruntur vrgeri. Quos quidem, si fieri potest, & si fides plena commendat, ad confortia nostra optamus adiungi: sed ita vt vetustæ communionis sociis sua prærogatiua seruetur, quorum nobis non superflua cura est. Primò omnium, quia communis societas nullam habere debet offensam.

Deinde quia vtriusque partis dudum accepimus literas, præcipueque illorum, qui in Antiochena Ecclesia diffidebant. Et quidem, nisi hostilis impedimento fuisset irruptio, aliquos etiam de nostro numero disposueramus dirigere, qui sequestres & arbitri refundendæ si fieri posset pacis existerent. Sed quia studia nostra tunc temporis habere effectum per tumultus publicos nequiverunt, oblatae pietati vestræ opinamur preces nostras, quibus iuxta partium factum poposcimus, vt altero decedente penes superstitem Ecclesiæ permanerent, nec aliqua superordinatio attentaretur. Ideoque petimus vos, clementissimi & Christiani principes, vt & Alexandriæ sacerdotum catholicorum omnium concilium fieri censeatis, qui inter se plenius tractent, atque definiant, quibus impertienda

communio, quibus seruanda sit. Nam & si Alexandriæ Ecclesiæ semper dispositionem ordinemque tenuerimus, & iuxta morem consuetudinemque maiorum, eius communionem indissolubili societate seruemus: tamen ne aut aliqui videantur esse posthabiti, qui & pacto, quod stare volumus, communionem nostram rogant, aut vllius pacis & societatis fidelium neglecta compendia, id obsecramus, vt cum inter se cœtu pleniore tractauerint, etiam auxilia decretis sacerdotalibus vestræ pietatis adspicient, & nobis deferri in notitiam censeatis, ne titubanti nutemus affectu: sed læti atque securi, pietati vestræ apud Deum omnipotentem agamus gratias; non solum quia exclusa perfidia est, sed quia catholicis fides & concordia restituta. Quod à vobis & Africanæ & Gallicanæ Ecclesiæ per

legatos obsecrant. hoc est vt totos faciatis vobis in orbe Episcopos debitores: licet nō mediocriter sit debitum, quod virtuti vestræ debetur. Ad deprecandam autem clementiam vestram, & impetranda quæ poscimus, legatos fratres & compresbyteros nostros direximus: quos petimus vt & clementer audire dignemini, & redire maturius censeatis.

---

### EPISTOLA III.

Concilij Romani ad Gratianum & Valentinianum Impp.

*De damnatis è factione Vrsicini, qui Ecclesias suas contra interdictum retinebant, vt Episcoporum iudicium subire, & parere iubeantur.*

**E**T hoc gloriæ vestræ, clementissimi principes, pietatisque est il-

lustre documentum, quod innumeri ferè ex diffusis Italiæ partibus ad sublime sedis Apostolicæ sacrarium congregati, cum quæreremus quid pro Ecclesiarum statu poscendum esset à vobis, nihil melius potuimus reperire, quàm quod spontanea vestri prouidentia contulistis. Videmus quod nec rogandi iam pudor esse debeat, nec impetranda beneficia iam vestra sint, & imperialium series decretorum pro nobis ambiat. Nam quod ad æquitatem petitionis attinet, iam dudum meruimus impetrare quæ poscimus. quod verò ad necessitatem spectat orandi, ita impetratorum caremus effectu, vt iterum impetrare cupiamus. Quod quidem, clementissimi principes, hominum perditorum exponit amentiam, vestræ autem iustitiæ munus accumulat, vt in Ecclesia vestra beneficia sæ-



pius conferantur. Namque à principio, diuino repleti spiritu, & sanctorum Apostolorum, quorum habetis in vestro honore suffragium, seruantes in dominica religione præceptum, statuistis ad redintegrandum corpus Ecclesiæ, quod furor VRSINI, qui honorem arripere est conatus indubitum, diuersas secuerat in partes, vt auctore damnato, ceterisque, quos ad turbam sibi incentiua sociauerat, sicut oportebat, à perditæ coniunctione diuulsis, de reliquis Ecclesiarum sacerdotibus Episcopus Romanus haberet examen: vt & de religione religionis Pontifex cum consortibus iudicaret, nec vlla fieri videretur iniuria sacerdotio, si sacerdos nulli vsquam profani iudicis, quod plerumque contingere poterat, arbitrio facile subiaceret. Præclara ista planè, & religiosis principibus digna sententia,

tentia, quæ diuino ministerio plurimum deferat, nec pateat errori. Quid enim dignius, quàm vt is demum iudicet de sacerdotis errato, qui vel internæ conscientiæ fauorem sine periculo suo parere se non posse cognoscat, seque reatu implicet, si absoluat indignum, vel si damnet innoxium? qui postremò, dum iniuriam religionis vlciscitur, non eam in lateribus innocentium, sed accusati quærat in moribus? Quàm multos etenim sæpe patuit, quos absoluerint iudicia, ab Episcopis esse damnatos, & quos iudicia damnauerint, absolutos? vt melior eorum sit causa, qui non sæcularia iudicia, sed diuina pensantes, abstulerunt supplicium suum, ne vexarentur innoxij, quàm qui vitam suam tormentis innocentium probauerunt. Compluria texeremus, tranquillissimi principes,

nisi esset iniuria, asseri magis decreta imperialia, quàm teneri. Sed quoniam, licet iam dudum vestræ clementiæ iudicio relegatus VRSINVS, per eos quos illicitè sacrilegus ordinavit, vilissimum quemque occultè licet sollicitare conatur: eoque exemplo nonnulli Episcopi, qui malè Ecclesiis incubant, vsu temeritatis suæ, & profani conspiratione cōtemptus, ne adquiescant Romani sacerdotis iudicio, laceffunt. ita vt etiam qui se intelligunt pro meritorum suorum ratione damnandos, vel damnatos esse viderunt, redempta vulgi multitudine, iudices suos terrore mortis exigent, contemptisque cognitoribus vel fugatis, illicitum obtineant sacerdotium. Idcirco statuti imperialis non nouitatem, sed firmitudinem postulamus. Indignum quippe est, vt conuentus quisque adhibita manu eo

sit munitior, quo flagitiosior fuerit. Sicut Parmensis Episcopus deiectus iudicio nostro Ecclesiam tamen retinet impudenter. Damnatus æquè Florentius Puteolanus, posteaquam deiectus est, cum aures tranquillitatis vestræ inquietasset, atque huiusmodi rescriptum meruisset, vt si iudicio sacerdotum in vrbe Roma fuisset depositus, ne vocem quidem in iudiciis proferre deberet, post sextum annum repfit ad ciuitatem, tenuit Ecclesiam, multas in oppido Puteolano, de quo deiectus fuerat, seditiones insolentia concitauit. Per Africam quoq; Restitutum nomine causam dicere, apud Episcopos iussit vestra clementia. Debuit adquiescere. sed idem sæua & insolentium manu à causæ dicendæ necessitate diffugit. Per Africam rursus sacrilegos rebaptizatores nutu Dei præcepistis ex-

pelli. sed ab expulsis Claudianus est  
 ordinatus, & ad perturbandam vr-  
 bem Romam quasi Episcopus desti-  
 natus. Qui contra scripturæ præce-  
 pta diuinæ, contra iura Euangelica,  
 vacuos omnes mysteriorum, atque vt  
 eius verbum exprimamus, paganos  
 fuisse vel præteriti temporis dicat  
 Episcopos, vel præsentis. Quem qui-  
 dem iussit tranquillitas vestra Roma  
 pulsum patriam repetere propriam.  
 Sed contemptis iudiciis, & quidem  
 sæpe constrictus, residet tamen, sol-  
 licitans pretio frequenter pauperio-  
 res, & redemptos rebaptizare non ve-  
 retur. Spoliat magis eo quod fuerant  
 consecuti, quàm tribuit quod mani-  
 festum est bis non posse conferri. Sic  
 denique factio profecit **VRSINI**,  
 vt Isaac Iudæo subornato, qui facto  
 ad synagogam recursum cælestia my-  
 steria profanauit, sancti fratris nostri

Damasi peteretur caput, sanguis in-  
 nocentium funderetur, componeren-  
 tur doli, quibus diuino planè instin-  
 ctu prouidentia vestræ pietatis oc-  
 currit, spoliaretur præpè Ecclesia  
 omnibus ministeriis: ea fraude vide-  
 licet, vt dum causam dicit qui in om-  
 nes iudex fuerat constitutus, nemo es-  
 set qui de lapsis, vel certè de factiosis  
 posset Episcopatus inuasoribus iudi-  
 care. Quia igitur vestræ iudicio tran-  
 quillitatis probata est innocètia me-  
 morati fratris nostri Damasi, integri-  
 tas prædicata est, Isaac quoque ipse,  
 vbi ea quæ detulit probare non po-  
 tuit, meritorum suorum sortem tulit:  
 quæsumus clementiam vestram, ne  
 rursus in plurimis causis videamur  
 onerosi, vt iubere pietas vestra digne-  
 tur, quicumque vel eius, vel nostro iu-  
 dicio, qui catholici sumus, fuerit con-  
 demnatus, atque iniustè voluerit Ec-

clesiam retinere, vel vocatus à sacerdotali iudicio per contumaciam non adesse, seu ab illustribus viris Præfæctis prætorio Italiæ vestræ, siue à Vicario, accitus ad urbem Romam veniat. aut si in longinquiore partibus huiusmodi emerferit quæstio, ad Metropolitanum per locorum iudicia deducatur examen. vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos quos Romanus Episcopus iudices dederit, contendere sine dilatione iubeatur. Ita vt qui depositi fuerint, ab eius tantum ciuitatis finibus se regentur, in qua gesserint sacerdotium, ne rursus impudenter usurpent quod iure sublatum sit. Certè si vel Metropolitanus, vel cuiusce alterius sacerdotis suspecta gratia, vel iniquitas fuerit, vel ad Romanum Episcopum, vel ad Cõcilium certè quindecim Episcoporum finitimorum ei

liceat prouocare. Quicumque verò ita meruerit excludi, flet & quiescat: & si Dei iudicium non veretur, minus tamen peccare vel necessitate cogatur. vt saltem de cetero pacifici atq; concordæ serenitati vestræ congruas apud Dominum nostrum referre gratias possimus. Memoratus frater noster Damafus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne iudicij, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogatiua tamen Apostolicæ sedis excellit, vt iudiciis publicis videantur esse subiecti, quibus sacerdotale caput lex vestra summouit. In quo post sententiam non videtur declinare iudicium, sed delatam à vobis honorificentiam flagitare. Nam quod ad leges publicas pertinet, quæ potest esse vita munitor, quàm vestra clementia qua innotitur iudicata? Quòd verò ad præ-

dicandam Episcopi conscientiam superioribus sededit ipse iudiciis sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur, ne quis iterum calumniator existens, dum memoratum conatur appetere, virum quidem ipsum non queat lædere, quem innocentia sua munit, religioni tamen fiat iniuria in vexationibus ministrorum: accipite aliud quoque, quod vir sanctus vestræ magis conferre pietati, quam sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquã, sed principibus adrogare. Quoniam non nouum aliquid petit, sed sequitur exempla maiorum, vt Episcopus Romanus, si Concilio eius causa non creditur, apud concilium se Imperiale defendat. Nam & Silvester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam profecutus est. Et de scripturis

similia exempla suppeditant: quòd cum à Præsìde sanctus Apostolus A. & 25. 12. vim pateretur, Cæsarem appellauit, & ad Cæsarem missus est. Certè prius examinet causam vestra clementia, & si emerferit quæstio, interroganda distinguat. vt quemadmodum dudum estis censere dignati, factorum à iudice ratio quærat, non arbitrium sententiæ vindicetur. Ita enim fiet, vt nulli perditio, vel infami, aut accusandi summi sacerdotis, aut restificandi in eum facultas pateat illicita. Si quidem non modò in Episcopum, sed ne in presbyterum quidem, accusationem facile suscipiendam, nisi idoneis testibus, lectio sancta præscribat. Neque enim vel inimico, vel calumniatori, vel istiusmodi viris, quales nuper insimulatores patuit extitisse, tribuenda misericordia est, quorum vita non me-

reatur fidem, tormenta abhorreat religio sacerdotis.

RESCRIPTVM GRATIANI AVG.  
iuxta superioris Epistolæ relationem  
datum ad Aquilinum Vica-  
rius Urbis.

GRATIANVS ET VALENTINIANVS  
Augusti Aquilino Vicario.

**O**Rdinariorum sententiæ Iudicium,  
aut quæ temporum limes, aut con-  
tumaciæ pronuntiatio, aut habitum co-  
ram patribus sanxit examen, nec à me-  
diocri auctoritate labefactari atque con-  
uelli, nec à potentioribus, nec ab impuden-  
tibus pertimescunt. Nostra præcepta, per  
vestram negligentiam destituta, quæ tan-  
dem poterit firmare sententia, quam qui-  
dem dum despiciatis non excitetis, ut lon-  
gæ tolerantia in desperatos sumat effe-  
ctum, & officium metus cogat agnosci?  
At nonne absurdus est, quod VRSINI

ius sit amentia, quàm quod serenitas nostra  
mitibus persuasit edictis, ut omnes qui  
impios cætus profanata religione tenta-  
rent, vel ad centesimum Urbis milliare  
pellerentur? ubi pertinax furor ab obse-  
quentibus destitutus in eius tantum per-  
niciem rueret, qui solus erraret, & ut con-  
demnati iudicio recte sentientium sacer-  
dotum, reditum postea vel ad Ecclesias  
quas contaminauerant non haberent, vel  
redintegrationem iudicij frustra à nobis  
impudenti peruiticia precarentur. Repe-  
tat laudanda & spectata tua sinceritas,  
quales ad virum clarissimum Simplicium  
quondam Vicarium literas clementia no-  
stra transmiserit, & desinat iterationem  
sperare mandati: quia pigendus mansue-  
tudinis nostræ pudor est instaurare præ-  
ceptum. VRSINVM quidem Gallia  
coërcet, & ne motus aliquos inquietos  
exerceat, cohibet Agrippina secessio. quem  
tamen ipsum per occurrentes obtunden-

tem sepius, quàm monentem, ad hoc ut sequentes abijceret, audiuimus. Isacem remotus Hispania angulus titulo damnationis inclusit. non bene capiti consultum, si quid turbarum vesanus agitaauerit. Parmensis Episcopus, eo perniciosior, quòd inclytæ Vrbi magis proximus, & imperitorum multitudinem magis exagitat, & Ecclesiam, de qua iudicio sanctorum Prasulum deiectus est, inquietat: inane videlicet gloriam sententiæ grauioris expectans. quem si quid decessor tuus deuoti vigoris habuisset, protinus ultra fines debuisset extrudere. Et Florentinus Puteolanus, post damnationem, quam recto iudicio conuictus accepit, mansuetudinem nostram inquietare conatus, dignum tulit in progressionem responsum. Post quintumdecimum annum Ecclesiam, de qua extrusus fuerat, rursus contaminare conatur: congressiones illicitas facere motitur, egentemque consilij multitudinem

perditi animi persuasione deprauat. Nostrorum videlicet Iudicum socordia fretus, qui priuata gratia Imperialia præcepta condonant; & religionem, quam nos iure veneramus, quam fortasse ipsi negligunt, inquietari patienter accipiunt. Claudianus etiam ab his qui contra diuina præcepta vitia religionis instaurant, ab his, inquam, quos expelli iusseramus accitus, quasi parum facinoris aggressus esset, si in Africa perstitisset, Roma sese dicitur intimasse: falsusque præceptor vel expertes adhuc deuo profanare mysterio, vel iam initiatos ex integro nititur flagitio maiore corrumpere. cum religionis sanctissimæ disciplinam non cumulet iteratio, sed euertat. Quem nos Claudianum dissimili pœna ac meruit prosequentes, repetere tantummodo patriam hætenus, remota seueritate, præcepimus. Sed residere etiam nunc dicitur imperitos sollicitans, & cassam omnino mercedem requi-

rens perdit animas corporum redempto-  
rum. Hinc illi insectatores sanctissimæ  
sedis, non solum Dei numine, quod satis  
erat, sed etiam iudiciorum examine ex-  
ploratum, mentis sanctissimæ virum, vt  
etiam diuo patri Valentiniano est com-  
probatum, turpissimis calumniis Episco-  
pum Damasum inquietare non veriti,  
postquam desperauerunt posse percelli, po-  
pulum pro quo ille diuinitati obses est in-  
quietant. Sed hætenus stertit iners dis-  
simulatio iudicantium. nec est admonere  
neccesse, quò possit sanctio contempta pro-  
cedere. hætenus, inquam, stertit appari-  
torum supina desidia. Post hæc nisi om-  
nes, vt nominatim iussionis nostræ summa  
complectitur, vel quos turbas istiusmodi  
molientes sanctorum Episcoporum Con-  
cilia consensu ostenderint, vltra centesi-  
mum milliarium ab Vrbe depuleris, atque  
earum ciuitatum finibus extorres esse præ-  
ceperis, quarum plebem, vel Ecclesias, vel

per se, vel per simile sui vulgus exercent,  
præter æstimationis iniuriam, cuius apud  
bonos non leuis iactura est, piaculum ne-  
glectæ sanctionis incurres. Volumus au-  
tem, vt quicumque iudicio Damasi, quod  
ille cum consilio quinque vel septem ha-  
buerit Episcoporum, vel eorum qui catho-  
lici sunt iudicio vel consilio condemnatus  
fuerit, si iniuste voluerit Ecclesiam reten-  
tare, vt qui euocatus ad sacerdotale iudi-  
cium per contumaciam non iuisset, aut ab  
illustribus viris Præfectis prætorio Gallie  
atque Italiae, siue à Proconsulibus, vel  
Vicariis, auctoritate adhibita, ad Episco-  
pale iudicium remittatur, vt ad urbem  
Romam sub prosecutione perueniat. aut  
si in longinquiore partibus alicuius fe-  
rocitas talis emerferit, omnis eius causæ  
dictio ad Metropolitæ in eadem prouin-  
cia Episcopi deducatur examen. vel si ipse  
Metropolitanus est, Romam necessariò,  
vel ad eos quos Romanus Episcopus iu-



dices dederit, sine dilatione contendat. Ita tamen; ut quicumque detecti sunt, ab eius tantum vrbis finibus segregentur, in quibus fuerint sacerdotes. Minus enim grauius meritos coercemus, & sacrilegam pertinaciam lenius quam meretur ulciscimur. Quod si vel Metropolitanus Episcopus, vel cuiuscumque sacerdotis iniquitas est suspecta, aut gratia, ad Romanum Episcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Episcoporum, accersitum liceat prouocare: modo ne post examen habitum quod definitum fuerit integretur. Iam verò illud, quod in negotiis quoque rerum minorum, & in leuibus causa dictionibus, animis nostris iustitia naturalis inseruit, multo diligentius in causis iustissimis volumus conualescere, ne facile sit cuiquam praedito notabili prauitate morum, aut infami calumnia notato, personam criminatoris assumere, aut testimonij dictionem in accusationem Episcopi profiteri.

EPI-

## EPISTOLA IV.

Concilij Italiae ad Theodosium,  
Imperatorem.

*Inter cetera damnatos scribit in Synodo fuisse,  
qui Apollinaris dogma inducere  
conabantur.*

BEATISSIMO IMPERATORI, ET  
clementissimo principi Theodosio,  
Ambrosius & ceteri Epi-  
scopi Italiae.

**F**idei tuae diffusa toto orbe cognitio intimum nostrae mentis demulsi affectum. eoque, ut haec quoque gloria imperio tuo crearetur, quod vnitatem reddidisse Occidentalium iuxta atque Orientalium Ecclesiis videreris, clementiam tuam obsecrandam pariter ac super Ecclesiasticis negotiis instruendam nostris literis aestimauimus, Imperator

G

tranquillissime ac fidelissime. Dolori enim erat, inter Orientales atque Occidentales interrupta sacrae communionis esse confortia. Silemus iam quorum errore, quorumue delicto, ne serere fabulas & alloquia cassa videamur. Nec nos tentasse poenitet, quod intentatum caderet in culpam. Isto enim saepe arguebamur, quod posthabere Orientalium societatem, & refutare gratiam videremur. Laborem quinetiam nobis indicendum putauimus, non pro Italia, quae iam dudum ab Arrianis quiescit atque secura est, nec vlla haereticorum perturbatione vexatur. non inquam pro nobis, quia non quaerimus quae nostra sunt, sed quae sunt omnium: non pro Gallia atque Africa, quae omnium sacerdotum concordiae societate potiuntur. sed ut ea quae communionem nostram de Orientis parte

turbauerunt, cognoscerentur in synodo, & omnis e medio scrupulus tolleretur. Non solum enim de his quae clementia tua dignata est scribere, sed etiam de illis, qui dogma nescio quod, Apollinaris asseritur, in Ecclesiam conantur inducere, nos pleraque mouerunt, quae partibus fuerant resocanda praesentibus. ut conuictus in dogmate nouo, & redargutus in errore, nequaquam sub generali fidei lateret nomine: sed illico, quod doctrinae magisterio non teneret, & officium deponeret, & vocabulum sacerdotis: nec fibrae aliqua posthac fallere cupientibus, & praestigiarum commenta remaneret. Nam qui conuictus non fuerit praesentibus partibus, quod vere augusto principali que responsio tua clementia definitur, referendam semper auctoritatem questionis arripiet. Eo igitur

obsecrauimus sacerdotale Concilium, vt nemini liceret mendacium in absentem componere, & in Concilio discuteretur quid esset in vero. Itaque non cadit in eos intentionis vel facilitatis vlla suspicio, qui omnia præsentibus partibus obseruarunt. Sanè allegata texuimus, non definiendi, sed instruendi gratia. & qui iudicium petiuimus, non deferimus præiudicium. Neque vllum eorum æstimandum conuictium fuit, cum rogarentur ad Concilium sacerdotes, quorum frequenter præsentior absentia fuit, quando in commune consuluit. Neque enim vel nos æstimauimus esse conuictium, cum vnus Constantinopolitane Ecclesie presbyter, Paulus nomine, intra Achaïam synodum Orientalium iuxta atque Occidentalium postulauerit. Aduertit clemen-

tia tua, non fuisse irrationabile postulatum, quod etiam ab Orientalibus est petitum. Sed quia Illyrici suspecta mouetur, ideo maritima ac tutiora quæsitæ sunt. Neque planè nos tanquam ex forma aliquid innouauimus: sed sanctæ memoriæ Athanasij, qui quasi columen fidei fuit, & veteris sanctitatis patrum nostrorum in Conciliis definita seruantes, non euellimus terminos quos posuerunt patres nostri, nec hereditariæ communionis iura violamus, sed debitam vestro imperio honorificentiam reseruantes, studiosos nos pacis & quietis ostendimus.



## EPISTOLA V.

Concilij Italix ad Theodosium  
Imperatorem.

*De Episcopo Antiochia subrogato post mortem Meletij: Et ut Nectarius Constantino- poli post Maximum ordinatus loco cedat, aut Romæ super utriusque ordinatione Concilium habeatur.*

BEATISSIMO IMPERATORI, ET  
clementissimo principi Theodosio,  
Ambrosius & ceteri Epi-  
scopi Italix.

**S**anctum animum tuum Deo  
omnipotenti pura & sincera fide  
deditum sciebamus: sed recentibus  
cumulasti beneficiis, quòd catholi-  
cos Ecclesiis reddidisti, Imperator  
Auguste. Atque utinam catholicos  
ipsum reuerentiæ veteri reddidisse,  
ut nihil nouarent contra præscripta

maiorum, nec temere vel seruanda  
rescinderent, vel rescindenda serua-  
rent. Itaque dolentiùs fortè quàm in-  
consultiùs ingemiscimus, Impera-  
tor, faciliùs expelli potuisse hæreti-  
cos, quàm inter catholicos conueni-  
re. Quanta enim nuper cõfusio facta  
sit, explicari nõ potest. Scripseramus  
dudum, ut quoniam Antiochena ci-  
uitas duos haberet Episcopos, Pauli-  
num atque Melitium, quos fidei con-  
cinere putabamus, aut inter ipsos pax  
& concordia saluo ordine Ecclesia-  
stico conueniret, aut certè, si quis eo-  
rum altero superstite decessisset, nul-  
la subrogatio in defuncti locũ super-  
stite altero gigneretur. At nunc Me-  
litio defuncto, Paulino superstite,  
quem in communione nostra man-  
sisse consortia quæ à maioribus in-  
offensè ducta testantur, contra fas  
atque Ecclesiasticum ordinem, in

locum Melitij, non tam subrogatus, quàm superpositus asseritur. Atque hoc factum allegatur consensione & consilio Nectarij, cuius ordinatio quem ordinem habuerit non videmus. Namque in Concilio nuper, cum Maximus Episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ communionem manere secum lectis Petri sanctæ memoriæ viri literis prodidisset, eiusque intra priuatas ædes, quia Arriani basilicas adhuc tenebant, secretum esse, mandatoribus Episcopis ordinantibus, dilucida testificatione docuisset, nihil habuimus, beatissime Principum, in quo de Episcopatu eius dubitare possemus. cum vim sibi repugnanti à plerisque etiam de populo & clero testatus esset illatam. Tamen ne absentibus partibus præsumptè aliquid definisse videremur, clementiam tuam datis literis pu-

tauimus instruendam, vt ei consuleretur ex vsu publicæ pacis atque concordia. Quia reuera aduertebamus Gregorium nequaquam secundum traditionem patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi sacerdotium vindicare. Nos igitur in Synodo ea, quæ totius orbis Episcopis videbatur esse præscripta, nihil temere statuendum esse censuimus. Adeo ipso tempore qui generale Concilium declinauerunt Constantinopolique gessisse dicuntur. Nam cum cognouissent ad hoc partium venisse Maximum, vt causam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, iure & more maiorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, vt ad Ecclesiæ Romanæ, Italiae, & totius Occidentis con-

fugisse iudicium viderentur. cum eum, sicut diximus, experiri velle aduersum eos qui Episcopatum eius abnuerant comperissent, præstolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerunt. Non prærogatiuam vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbitrij. Postremò prius constare oportuit, vtrum huic abrogandum, quàm alij conferendum sacerdotium videretur. ab his præsertim, à quibus se Maximus vel destitutum, vel appetitum iniuria querebatur. Itaque cum Maximum Episcopum receperunt in communionem nostra consortia, quoniam eum à catholicis constitit Episcopis ordinatum, nec ab Episcopatus Constantinopolitani putauimus petitione remouendum. Cuius allegationem præsentibus partibus æstima-

uimus esse pendendam. Nectarium autem cum nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognouerit ordinatum, coherere communionem nostram cum Orientalibus partibus non videmus. Præsertim cum ab iisdem Nectarius dicitur illico sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus. Nec quædam nos angit de domestico studio & ambitione contentio, sed communio soluta & dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter conuenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certè super duorum ordinatione sit in vrbe Roma nostrum Orientaliumque Concilium. Neque enim indignum videtur, Auguste, vt Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque & Italarum Episcoporum

108 CONCILIORVM EPIST.

debeant subire tractatum, qui vnus Acholij Episcopi ita expectandum esse putauerunt iudicium, vt de Occidentalibus partibus Constantino-  
polim euocandum putarent. Si quid vni huic reseruatam est, quanto magis pluribus reseruandum est? Nos autem à beatissimo principe fratre tuæ pietatis admoniti, vt tuæ clementiæ scriberemus imperio, postulamus, vt vbi vna communio est, commune velit esse iudicium, concordantemque consensum.



PONTIFICVM  
ROMANORVM  
FELICIS III. GELASII,  
ET VIGILII,  
EPISTOLÆ X.

QVIBVS PRÆFIXA SVNT  
GESTA DE NOMINE ACACII.

BREVICVLVS HISTORIÆ  
EVTYCHIANISTARVM.

Siue, vt verus habet inscriptio,  
GESTA DE NOMINE ACACII.

**I**N causa fidei Christianæ, cui ab exordio sui nunquam defuisse probantur inimici, nostro quidem sæculo, sed interuallo temporum, Nestorius & Eutyches non noua dogmata suæ peruersitatis, sed nomina prodiderunt. Nam Nestorius ante quinquaginta & octo ferè annos, Photini & Pauli Samosatani securus errorem, Oasitano exilio meruit relegari, dicendo, sicut ab auctoribus suis didicit, Christum dominum nostrum hominem tantummodo de virgine Maria esse progenitum. Contra quem Eutyches, post annos non plurimos, æstimans disputandum, rectum tramitem tenere nesciens offendit, & in Apollinaris est raptus insaniam, in hæc verba prorumpens, quibus assereret Christum verum hominem non fuisse,



nec in eo duas naturas esse credendas, sed vnam tantummodo Dei verbi, verumtamen incarnatam. Quam quidem non esse hominis perhibuit, sed humanam, vt similitudo magis humani corporis, quàm ipsa veritas suaderetur. Cùm catholica fides verum Deum, verumque hominem, Christum Dei filium esse fateatur, non vnus naturæ, sed vnus essentia atque personæ. Cùm ergo Eutychem istum, presbyterum & abbatem Constantinopolitanæ ciuitatis, Eusebius Dorylitanus Episcopus suadere talia reperisset, zelo fidei, quam etiam cùm Agens in rebus esset ostendit, (ipse enim Nestorium quoque in tempore reprehendit in Ecclesia res sacrilegas prædicantem) detulit ad Flauianum Episcopum, & ad iudicium prouocauit. Dicta causa est. Cùm partes suas Eutyches videret vrgeri, per Chrysaphium spatarium Theodosij præsidium principis expetiuit. Cuius præcepto Florentius vir illustris, ex Consule, discussioni Eutyches abesse non potuit. & iam in præsentia ipsius conuincitur Eutyches, atque damnatur. Offenditur Imperator, & in Ephesina ciuitate mandat Synodum congregari.

gari. Adfunt ferè cccclx. Episcopi, principibus Dioscoro Alexandrino Episcopo, Iuuenali Hierosolymitano, Thalassio Cæsariensi, Eustathio Berytensi, Eusebio Ancyritano, Basilio Isauriæ. Interfuerunt etiam Vicarij ab Apostolica sede directi, Iulius Puteolanus Episcopus, Hilarus Archidiaconus, quia presbyter Renatus in Delo insula morte præuentus est. Adfuit etiam Dulcitus Notarius. In quo conuentu repudiata est epistola Pape Leonis dogmatica ad Synodum Flavianumque directa, & penitus non permittitur recèseri. Tota die, id est vi. Idus Augusti, nihil aliud nisi quondam Nestorij damnati, id est prioris Ephesinæ Synodi gesta releguntur. Simule etiam discutitur, lectis omnibus chartis, iudicium de Eutyche sanctæ memoriæ Flauiani. Interea cùm Eutyche blasphemias relegerentur, ab omnibus adclamatum est, hanc esse veram fidem, hanc orthodoxam. Deicitur contradicentibus Vicariis Romanis Flauianus, & recipitur Eutyches. Damnatur etiam Eusebius Episcopus accusator eiusdem presbyteri, tanquam Nestorianus, qui antè, dum adhuc

114 BREVIC. HISTORIÆ  
esset laicus, Nestorij fuerat accusator. Ita enim nihil volunt isti Eutychnistæ inter se esse atque Nestorium, vt quicumque apud eos Eutychnista non fuerit, Nestorianus prorsus habeatur. cùm doctrina catholica vniat duas naturas in Christo, non diuidat sicut Nestorius fecit. Et isti quidem reperiuntur deteriora garrere. Nam fidentissimè dicunt rem ineptam, rem etiam stolidis execrandam, ante vnitionem, id est incarnationem, duas dici debere naturas; post verò vnã Dei verbi tantùm incarnatam: vt si dicamus aliquid ceratum, aut picatum, aut stagnatum, aut quolibet alio genere coloratum. Iam verò post diem tertium Synodi, qua deiectus est sanctæ memoriæ Flavianus, deicitur etiam & Domnus Antiochenus, Dioscorus repente discessit, solutusque conuentus est. Ducitur in exilium Flavianus, & apud Epipam, quæ est ciuitas Lydiæ, seu superueniente, seu ingesta morte defunctus est. Tunc temporis Anatolius quidam presbyter Alexandrinus apud Constantinopolim morabatur. Hæc enim consuetudo prædictis est, vt ad comitatum vicibus clerici diri-

EUTYCHIANISTARVM. 115  
gantur; ne quid fortè causæ vel necessitatis emergat. Fit ergo iste Anatolius Constantinopoli Episcopus, homo partium Dioscori. Exempto anno moritur Theodosius Imperator, Chrysaphius punitur, Marcianus factus est princeps. Læsam fidem grauius ferens indicit Synodum apud Nicæam, in qua & ipse & Pulcheria resedit, & omnis cum eo senatus & potestates. Quam Synodum postea transtulit Calchedona propter palatij vicinitatem. Conueniunt quingenti & ultra Episcopi totius Orientis & Ægypti. Dioscorus exhibetur, vt facti sui causas in Concilio possit adserere. Interfuit etiam Imperator ipse conuentui. interfuit & senatus, & omnes Iudices, & omnes aulicæ potestates. Eusebius ille Dorylitanus Episcopus, qui ante annum de exilio fugiens Roma venerat, etiam & Calchedonensi Synodo interesse prope- rauit. Accusat ipse Dioscorum, & alij Alexandrini. Quid multa? Damnatur Dioscorus, sanctæ memoriæ Flauiani corpus officiosissimè Constantinopolim reportatur, apud Alexandriam Prote- rius catholicus fit sacerdos. Quidam Ti-

motheus, cui cognomen erat *Ælurus*, presbyter, & Petrus diaconus, qui Episcopatum nunc Alexandrinæ occupavit Ecclesiæ, Dioscori sectatores, se ab Ecclesia Alexandrina separarunt. Quos cum Proterius Episcopus suis monitis ad ministeria sua reuocare non posset, utrumque damnauit. Mortuo principe Marciano, collectis turbis hæreticorum Timotheus & Petrus veniunt Alexandriam, & ordinatur ab hæreticis Timotheus Episcopus. Duo igitur apud Alexandriam Episcopi esse cœperunt. Ante triduum Paschæ, quo cœna Domini celebratur, collecta multitudine perditorum occupatur Ecclesia, ad quam se sanctæ memoriæ Proterius de more contulerat. Ibi supradicto die in baptisterio occiditur, laniatur, eiicitur, & funus eius incenditur, cineresque ipsius sparguntur in ventos. Leo sumit imperium. ad quem tanti facinoris catholicorum querela peruenit. contra quos hæretici supplicarunt, petentes ut Calchedonensis Synodus aboleretur. illi autem vindictam tanti sceleris spectabant. Considerans Imperator nimis esse graue, vexari tan-

tos iterum sacerdotes, quorum plurimos aut ætas, aut infirmitas, aut etiam paupertas hunc laborem subire prohibebat, dirigit Magistranos per totum Orientem. dirigit etiam Anatolius Episcopus Constantinopolitanus Asclepiadem diaconum suum. Per quos & omnes illi Episcopi, qui Calchedona fuerant congregari, quid Alexandriæ factum fuisset agnoscunt: interrogatique cum suis provincialibus Episcopis rescribunt, Calchedonensem Synodum vsque ad sanguinem esse defendendam, quia non alteram fidem statuit quàm Synodus Nicæna. Timotheum non solum Episcopum non haberi, sed etiam Christiani appellatione priuari. Quo deposito, fit alter Timotheus catholicus Episcopus Alexandriæ. Vix Timotheus hæreticus depellitur, fugit Petrus. mittitur in exilium Timotheus Chersona, qui locus est in Ponto abditus. Quamdiu vixit Imperator Leo, vixit Timotheus Episcopus Alexandriæ cum quiete. Sed cum Basiliscus occupasset imperium, damnare cœpit Calchedonensem Synodum, & catholicos persequi. Tunc denique Timo-

theus ille damnatus accepta libertate venit Constantinopolim, & damnatos hæreticos locis suis reddidit. Vadit Alexandriam, fugit Timotheus catholicus, & in monasterio latet. Petrus ille iterum se iunxit Timotheo, cum quo fuerat antè damnatus. Redit Zeno Imperator ad regnum, Basiliscus opprimitur. Mittitur Alexandriam, vt pulso peruasore Timotheo Timotheus catholicus redderetur Ecclesiæ. Sed Timotheo damnato morte præuento, Petrus consors ipsius ab vno hæretico Alexandrinis Episcopus ordinatur. Quem nihilominus deici iussit Christianissimus Imperator, & reduci Timotheum catholicum, sicut Acacij Constantinopolitani literis continetur. Cùm plurimi, seu clerici, seu monachi, seu sæcularis vitæ homines, ad communionem catholici Episcopi Timothei nollent penitus conuenire, diuersis sacris terruit vniuersos clementissimus Imperator. Scripsit ad Papam Simplicium Timotheus [dicens Petrum olim in diaconio esse damnatum, nunc etiam Christiana societate semotum: mandans per Esaiam Episcopum] rogans vt scribere-

EVTYCHIANISTARVM. 119  
tur Imperatori de Petro, qui latebat in Alexandrina ciuitate, & insidiabatur Ecclesiæ, vt ad longinquum deportaretur exilium. Per ferme triennium sanctæ memoriæ Papa Simplicius non desit scribendo ad Acacium Episcopum, vt ageret cum Imperatore, & fieret de Petro quod Timotheus Episcopus postulabat. Scriptum est etiam principi, sed nunquam inde rescriptum est. Post omnia, Ioannem presbyterum œconomum suum Timotheus ad principem misit, rogans vt si quid humanitus sibi fortè contingeret, iuberet pietas eius catholicum à catholicis ordinari. Ad cuius petita responsum est, & tam ipsi quàm clericis scriptum. atque in iisdem sacris Ioannes œconomus multis laudibus prædicatur, vt iam penè omnibus Alexandrinis Episcopalis putaretur officij candidatus. Defuncto isto Timotheo Episcopo, Ioannes œconomus catholicus à catholicis ordinatur Episcopus. Qui cùm de consuetudine maiorum ad Apostolicam sedem Synodica [per Isidorum presbyterum, & Petrum diaconum] scripta misisset, superueniente Vranio subadiuuu, & contra

Ioannem iam Episcopum sacra principis deferente, ab Episcopatus illius confirmatione Papa suspensus est. Et quia in iisdem sacris de restituendo Petro, quem ipse damnauit, fecerat mentionem, hæc pars omnino est abnegata. Vnde videtur clemētissimus Imperator offensus. Cū ergo sanctæ memoriæ Papæ Simplicij nihil toriens ad Acacium directa, propter Alexandrinæ Ecclesiæ quietem, & catholicæ fidei integritatem, scripta proficerent, superuenit idem sanctus Ioannes Episcopus, qui sicut decebat ab Apostolica sede susceptus est. Nam & priores eius similiter Romanæ Ecclesiæ tempore persecutionis suffugium poposcerunt. Huius aduentus plenius vniuersa patefecit. Cui dum Acacij scripta legeremus, quæ de Petro & Ioanne Antiochenis miserat, excessus Acacij etiam in hac causa grauissimos deprehendit. Illo enim tempore, quo de Petro Alexandrino damnato retulerat, non longè post etiam de Petro & Ioanne scripserat. Petrum apud Constantinopolim monasterium gubernasse: sed hoc propter crimina derelicto, Antiochiã fugisse. Ibi pulso [Martyrio]

catholico Episcopo, per hæreticos sedem ipsius occupasse. continuóque damnatum, à Leone tunc principe ad Oasitanum exilium esse directum. De quo lapsum Constantinopolim rediisse, ac dedisse fidem, quod nullas vltius turbas facere prorsus auderet. Sed sicut superius dictum est, Basilisci temporibus à Timotheo illo damnato, qui Constantinopolim venerat, ad Antiochiam remissum fuisse, vt iterum illic Episcopatum teneret. Quo facto, idem Petrus Ioannem quendam presbyterum, de quo Acacium diximus retulisse, ordinat Apamenis Episcopum: à quibus non receptus venit Antiochiam, & Petrum Episcopatus sui pellit auctorem, & inuadit eius Ecclesiam. Quos iterum damnatos dicit Acacius, petens ab Apostolica sede, vt si fortè ad eam confugerent, nec visu dignos haberet: & si iam aliquam indulgentiam forsitan impetrassent, irritam esse debere, nec eorum pœnitentiam recipendam esse. Quod cū præfatus Ioannes Alexandrinus Episcopus relegisset, tacere non potuit, quòd illum Ioannem, quem Acacius damnauerat

cum Petro, & sine remedio pœnitentiæ fecit ab Apostolica sede damnari, post tot damnationes Tyrionum miserit Ecclesiæ præsidere. Postquam ergo non solum nihil profecisse literas decessoris sui sanctus Felix Papa cognouit, & ludibria quædam ab Acacio fieri in euerfionem totius Ecclesiasticæ disciplinæ, electis Vitale Episcopo Troentinate ex Picena regione, & Miseno Cumanæ Ecclesiæ Episcopo ex regione Campaniæ, sub hac instructione direxit, vt Petrus de Alexandrina pelleretur Ecclesia, & vt libello sancti Ioannis Episcopi Alexandrini responderet Acacius, atque ipsi denunciaretur Acacio, vt anathema diceret Petro. Qui quamuis hostili more detrusi in custodiam chartas amiserint, tamen perfidis hæreticis atque damnatis accommodare non debuerant, quæ sola negari potuit, voluntatem. Non solum ergo non egerunt quæ iussa sunt, aut quæ expedire poterant; sed etiam hæreticis communicauerunt, confirmationem Petri Episcopatus, ad quem pelendum missi fuerant, deferentes, atque contumelias in Episcopum Ioannem

Acacio dirigente portantes. Quibus rebus habita Synodo commotus beatissimus Papa, Vitalem & Misenum ab officio & communione suspendit, Acaciûmque damnauit. Cuius audacia deteriora committens, etiam Petrum Antiochenum, eiecto catholico Calendione, quem ipse ordinauerat, ad Antiochenam misit Ecclesiam.

---

### EDICTVM SENTENTIÆ

FELICIS PAPAE

*propter Acacij Episcopi CP damnationem.*

ACACIVS, qui secundo à nobis admonitus statutorum salubrium non destitit esse contemptor, meque in meis credidit carcerizandum, hunc Deus, cœlitus prolata sententia, de sacerdotio fecit extorem. Ergo si quis Episcopus, clericus, monachus, laicus, post hanc denuntiationem eidem communicauerit, anathema sit, sancto Spiritu exequente.





## EPISTOLA I.

Felices III. Papæ ad Zenonem  
Imperatorem.

*Conqueritur de violatis ab eo Legatis, sua-  
dētque vt acquiescat damnationi Petri  
Alexandrini, & Acacii.*

FELIX ZENONI APOSTO.

**Q**UONIAM pietas tua, licet  
profusiore pagina ad mea  
scripta responderit, suis au-  
ribus diligentius intimatam fastidio  
dignam credidit veritatem: curan-  
dum mihi fuit, vt breuiter quæ non  
vultis latiùs publicari definita con-  
cluderem. Itaque officiositate præ-  
missa timere me fateor regno vestro  
pariter & salutem. Siquidem contra di-  
uinam reuerentiam probabitur, vt

PONTIF. ROM. EPIST. 125  
beati Apostoli Petri directa Lega-  
tio, sicut eius confessio patefecit, tan-  
quam in captiuitate redacta tenere-  
tur, & chartis quas baiulabat violen-  
ter ablatis, ad communicandum hæ-  
reticis, hoc est apocrisariis Alexan-  
drini Petri, aduersum quem ierat, de  
custodia sit producta. Quapropter  
\* Vitalem quidem & Misenum, cur  
vel impulsu ad ista consenserint, ho-  
nore simul & communiōe Aposto-  
lica censura priuauit. Sed \* cū apud  
barbaras etiam nationes, atque ipsius  
deitatis ignaras, pro exequendis ne-  
gotiis vel humanis, iure gentium  
legationis cuiuslibet habeatur sacro-  
sancta libertas; notum est omnibus,  
quanto magis ab Imperatore Roma-  
no & Christiano principe, in rebus  
præsertim diuinis, oportuerit inte-  
meratam seruari. Deinde legatione  
summotam, quæ apud vos, vt dictum

Nicolaus  
I. Papa  
epist. ix.

Ibid. post  
pauca.

est, nec beati Petri Apostoli inuio-  
lata esse iam potuit, tranquillitas tua  
literarum saltim tenore cognoscat  
sedem beati Apostoli Petri Alexan-  
drino Petro, olim iustéque damnato,  
ac nihilominus per sententiam Sy-  
nodalem nuper eliso, communionis  
nunquam vel præbuisse, vel præbi-  
turam esse consensum. Quia, vt ce-  
tera nunc omittam, ab hæreticis in-  
stitutus, contra fas omne catholicæ  
præsideri non possit Ecclesiæ. Vnde  
quoniam adhortationem meam du-  
xistis onerosam, in vestro relinquo  
deliberationis arbitrio, vtrum beati  
Apostoli Petri, an Alexandrini Petri,  
cuiquam sit eligenda communio.  
Qualis autem Alexandrinus extite-  
rit, vel quemadmodum falsi nomi-  
nis sacerdotium per vnum vix suæ  
complicem prauitatis temerarius v-  
surparit, atque in damnatorum fue-

rit etiam apud vos dudum sorte nu-  
meratus, suffragatoris eius Acacij li-  
teris ad sanctæ memoriæ decessorem  
meum datis, quarum exemplaria sub-  
dita cernitis, adprobate. Vtrum vel  
Episcopus dici valeat, quod nomen  
etiam si à pluribus Episcopis accepis-  
set, habere non posset, vel orthodo-  
xis plebibus contra Nicænam Syno-  
dum, contra obseruantiam singula-  
rem, mereatur imponi, prompta in  
Deum pietate perpendite. Vbi etiam  
apparet euidenter, Acacium, qui ex-  
cessus suos sub vestro potius nomine  
celare voluit, quàm vobis profutura  
suggerere, tam saluti vestræ deuotio-  
nem deferre sinceram, quàm fidelem  
conscientiam circa patrum regulas,  
atque ipsum dogma gestaret catho-  
licum. Propterea hunc eundem, vt  
pote qui multa, contra scita vete-  
rum nefaria perpetrarit, & eius lau-



dator emerferit, quem adseruit & ipse damnatum, & ab Apostolica fecit sede damnari, ac rursus ædificans quæ antè destruxerit, præuaricatore se ipse constituit; eorum quos sequi maluit portione districtionis Apostolicæ per Tutum Romanæ Ecclesiæ Defensorem iusta deputauit auctoritas, atque à communione & dignitate Apostolica, qua se ipse eius externis sociando monstrauit indignum, legitima seueritate discreuit. Puto autem quòd pietas tua, quæ etiam suis mauult vinci legibus, quàm reniti, cælestibus debeat parere decretis: atque ita humanarum sibi rerum fastigium nouerit esse commissum, vt tamen ea quæ diuina sunt per dispensatores diuinitus attributos percipienda non ambigat. Puto quod vobis sine vlla dubitatione sit vtile, si Ecclesiam catholicam vestri

tempore

tempore principatus sinatis vti legibus suis: nec libertati eius quemquam permittatis obsistere, quæ regni vobis restituit potestatem. \* Certum est enim hoc rebus vestris esse salutare, vt cum de causis Dei agitur, iuxta ipsius constitutum, regiam volutatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre: & sacrosancta per eorum præfules discere potius, quàm docere: Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda iura præfigere. Neque eius sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ deuotionis colla submittere: ne dum mensura cælestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis. Et ex hoc quidem de his omnibus conscientiam meam ante tribunal Christi causam dicturus absoluo. Vestræ mentis intèrerit, magis ac magis cogitare, & in

D. ro. Certum est hoc.

rerum præsentium statu sub diuina nos examinatione subsistere, ac post huius vitæ cursum ad diuinum consequenter venturos esse iudicium. *Et alia manu.* Data Kalendis Augusti. Venantio v. c. Consule.

---

EPISTOLA II.

Felicis III. ad Clerum & plebem Constantinopolitanam.

*Ne turbentur ob præuaricationem Legatorum. atque ut Acacij à sede Apostolica damnati communionem deuitent.*

FELIX CLERO ET PLEBI ORTHODOXIS Constantinopoli constitutis dilectissimis filiis salutem.

**P**Robatam cunctis vestræ fidei firmitatem Vitalis atque Miseni non inrationabiliter opinamur præuaricatione turbatam : qui vniuersa,

quæ illis mandata sunt, non tantum negligendo, verum etiam impugnando, fecerunt ut Ecclesia Romana consentire damnatis hæreticis crederetur : quando contra vetitum his qui à Petro illo hæretico, parricidarum socio, olim iustè que deiecto, & totiens anathematizato, directi, atque ab Acacio suscepti sunt, nostrorum immemores mandatorum, communicare conuicti sunt, nulla contestatione præmissa, quam tamen, sicut his præceptum fuerat, religio vestræ sanctitatis audiret. actumque est ut, sicuti prædiximus, excessus illorum noster crederetur assensus. Quos & ordinibus suis, & veneranda diuini mysterij perceptione priuauimus. Nullus ergo vestrum per tale commissum sit immemor sui, nec nos æstimet in Apostolicæ traditionis defensione deficere, quos videt fidei

contumeliam in proditores & perditos vindicasse. Scire vos quoque decuit, Acacij quondam Episcopi varietatem inconstantiámque detectam. Qui cum de Petro isto, sicut probatur adnexis, non ferenda retulerit, atque olim dixerit fuisse damnatum, per legatos nostros multis laudibus profecutus, contra conscientiam fecit, & vtrum ei quicquam credendum sit, omnes qui timorem Dei ante oculos constituunt iudicabunt. Alienarum quoque prouinciarum sibi iura defendens, sanctorum trecentorum decem & octo patrum canones illicitarum sibi ordinationum præsumptor est conatus euertere. Quorum etiam ob hoc subiacet ultioni: nec Romanæ, id est Apostolicæ sedis, qua se ipse priuauit, communionem gaudet: quando Petri Eutychnistæ socius & susceptor apparens,

damnationis eius se participem indicauit. Quem nostra quoque sententia ministerij Episcopalis officio, & sancta communione, vestroque numero, id est Christiano, iudicauit alienum, sicut reperitur in adnexis. Filio autem nostro Salomoni presbytero, quem Acacius, vt placeret hæreticis, suo priuare putauit gradu, gradum proprium sententia vestra conseruet, vel omnes qui fortè à memorato propulsi, in locis suis & in nostra communione manere pronuntiet. Quamuis autem zelum vestræ fidei nouerimus, monemus tamen, vt omnes qui catholicæ fidei volunt esse participes, ab illius se communionem abstineant, ne quod absit simili subiaceant ultioni.

## EPISTOLA III.

Felicis III. Papæ, ad monachos vrbis  
Constantinop. & Bithyniæ.

*Tutum Ecclesie Defensorem prauaricationis  
causa fuisse damnatum. Et quomodo ipsi in  
suis, qui Acacio adhaeserint, animaduer-  
tere debeant.*

FELIX RVFINO, THALASIO, PRESBY-  
TERIS & ARCHIMANDRITIS, & CETERIS MO-  
NACHIS CIRCA CONSTANTINOPOLIM & BI-  
THYNIAM CONSTITUTIS.

**D**iabolicæ artis astutias frequen-  
tius experimur, sed malignitati  
eius, Deo iuuante, non cedimus. Nam  
cùm ea quæ totiens pro constantia  
fidei disponuntur fraus eius vacuare  
molitur, necesse est vt & viribus, quas  
diuina gratia subministrat, conatus  
ipsius extirpemus. Acceptis itaque  
literis dilectionis vestræ, quarum Ba-

filius fuit lator, inter cetera Tutus,  
quem ob hoc feceramus Defenso-  
rem Ecclesiæ de prouectioribus in-  
tra Ecclesiam clericis, vt quam dirigi  
non licebat, in Acacium sententiam  
ipse portaret, se quadam dementia,  
immo ardore pecuniæ, postquam no-  
stris satisfactum est constitutis, ini-  
micis fidei vendidisse conuictus est  
atque confessus. Lectæ sunt enim li-  
teræ ipsius in conuentu fratrum, qua-  
liter pacta interposita persona, Ma-  
rone condemnato, ei cui sententiam  
portarat inhæsisse creditur: quas pro-  
prias esse cognoscens, non potuit dif-  
fiteri. Vnde eum fidei & sedis Apo-  
stolicæ proditorem, officio Defenso-  
ris quod ei ad tēpus dederamus exui-  
mus, eumque sacrosancti mysterij  
communionem priuatum præcipita-  
riq̄ue cognitione præcepimus, mo-  
nentes dilectionem vestram, vt sicut

semper fecistis, pro custodia veritatis iugi obseruatione vigiletis. Et quia non est dubium, nonnullos ex monasteriis vestris esse deceptos, atque ad inimicos Dei, seu sponte, seu necessitate transisse, obseruandum vobis de talibus hoc esse mandamus, vt quisquis cuiuslibet loci apud vos, vel sponte se dedit, vel mercede corruptus, collegij vestri sit prorsus alienus. Quia nisi à fidelibus perfidi sint remoti, rerum discretionem sublata, laborabunt suspicionibus innocentes, vt ad vitia facilis hominibus est prolapsus. A probatorum cōsortio contagia repellenda sunt perditorum: quoniam mores bonos colloquia, sicut scriptum est, peruersa corrumpunt. Illorum verò aliter causa tractanda est, quos constiterit pœnis grauibus vt traducerentur afflictos. Circa quos humaniores vos esse con-

1. Cor. 15.  
33.

uenit, vt ad cellulas sub districtione pœnitentiæ reuertantur, & fidelioribus lacrymis eorum quòd lapsi sunt expiètur, donec exclusis inimicis, & peruersoribus suis catholica purgetur Ecclesia.

---

## EPISTOLA IV.

Felicis III. Papæ ad Zenonem  
Imperatorem.

*Laudato eius studio in ordinatione noui Episcopi, hortatur vt in Acacij Petrique nominum damnatione, de qua Episcopi legati nihil sibi mandatum responderant, cum Ecclesia Romana consentiat.*

FELIX ZENONI IMPERATORI.

**D**ignas referre Deo nostro gratias fateor mens humana non sufficit, quòd tantam religionis curam in vestrae pietatis sensibus mise-

ratio diuina constituit, vt eam & vniuersis negotiis anteponi, & soliditate reipublicæ contineri, quàm veraciter Christiano, tam augusto iudicio censeretis. quia reuera propitiatione cælesti rerum subsistit vniuersitas. Ex qua mirabili deuotione vestræ clementiæ processisse cognosco quicquid pro diuini cultus reuerentia celebratus tranquillitatis vestræ sermo deprompsit. Vt scilicet firmare catholicæ fidei cupientes vnitatem, Ecclesiarumque pacem magnopere roborari, talem studeretis præfici Constantinopolitanis Antistitem, qui superno munere prosequente, & morum probitate fulgeret, & præ omnibus orthodoxæ veritatis polleret affectu. Magnam igitur, egregie princeps, capio de vtroque lætitiā: cum & in tuæ serenitatis animo, sicut in sæculi fastigio constitutum,

ita præcipuum Ecclesia filium Deo factore suscepit: & eum ipsum, de cuius pontificio gloriāmini, dum ad beati Petri Apostoli sedem suæ refert dignitatis exordium, iam suæ dedisse gaudeo moderationis indicium. Vbi simul & magnanimitas vestra resplendet, quando Ecclesiæ causam, sicut diuinitus institutum est, Pontificum desiderat ordinatione componi, & qui in sacerdotij perhibetur prouectus officium, optat inde fulciri, vnde Christo cupiente profluit cunctorum gratia plena Pontificum. Cuius etiam literarum me refouet intentio, qua sicut decet Christo placere nitentem, & summum Apostolorum beatum Petrum, & petram fidei esse non tacuit, & eidem mysteriorum clauis creditas fuisse cælestium prudenter struxit, vtque nobiscum circa orthodoxam fidem consentien-

tem haberet assensum, quo amplius vnanimis redderetur, expetiit. Gratissimis igitur professionibus huius, & votis copiosa lectione patefactis, mox vt etiam filios meos sancti propositi monachos pariter venisse conspexi, difficultates omnes, quæ primitus obstrepebant, hac credidi dispositione summotas: atque ideo venientibus clericis eas præter consuetudinem sociatas esse personas, quæ Petro vel Acacio non communicasse viderentur. vt illorum nominibus sequestratis, per quos scandalum contigisset Ecclesiis, sincera deinceps caritas proueniret. Quibus rite perpenfis, nihil aliud mihi supererat gratulanti, nisi vt his qui fuerant destinati Apostolicæ sedis communio traderetur. Sed cum pro catholica fide cautiùs admonerem, vt suscipientes eam se à consortio retraherent damnato-

rum, non sibi hoc mandatum omnino dixerunt. Qua rerum diuersitate permotum anxium me hæsisse profiteor; cum aliud literæ, & ipsa rerum ratio demonstraret, & aliud memoratorum contineret assertio. Puramque volens cum eo qui Pontifex creatus asseritur inire concordiam, gloriæ vestræ suggerere properaui, vt nihil residere patiamini, quo denuo quicquam valeat dissensionis oboriri. Quia dum per Synodum Calchedonensem, quam se dudum literis designauit tua clementia venerari, Eutychem atque Dioscorum constet esse damnatos, & eorum sectatores plurimis illarum partium documentis Timotheus & Petrus extitisse monstrantur, atque eorum communionem, etiam si prohibitam, secutus Acacius, quos ipse epistolis suis hæreticos dixerat esse damnatos: sententia illius

Concilij conuincuntur adstringi, & in ipsorum poenam meritò recidisse, quorum elegere consortium. sicut in ceteris hæresibus facta semel Synodus abiecti cuiuslibet erroris cunctos sequaces cõsequenter inuoluit. Quæso igitur, gloriosissime, nec in successoribus refouere iudicemur, quod manifestum est in auctõribus fuisse damnatum: nec Petri putetur legitima prouenisse purgatio, quem non secundum morem veterum Apostolica sedes, quæ ligauit, absoluit. Scit enim Christiana mens tua, venerabilis Imperator, quoniam delicta mortalium secundum conscientiam relaxandi non nisi Pontificibus suis ordine competenti superna dederit dispensatio facultatem. Qui Petrus tamen, si verè receptus esset, veniam mereri debuit, non honorem. qui à damnatis atque hæreticis falsum sa-

cerdotij nomen accipiens catholicæ non poterat Ecclesiæ præfidere. Hæc ego, reuerentissime princeps, beati Petri qualiscumque vicarius, non auctoritate velut Apostolicæ potestatis extorqueo, sed tanquam sollicitus pater, salutem prosperitatẽque clementissimi filij manere cupiens diurnam, fidenter imploro. Ecce desideramus, optamus, ambimus Ecclesiam Constantinopolitanam, sicut semper, habere connexam. Exuantur obsecro ab his qui nostri non sunt, & nos quoque volumus esse nobiscum. Postulationes certè gẽtium barbararum, venerabilis Imperator, pro quiete mundani regni publicè benignus exaudis. Quanto præstantius quæso te, preces Apostolicæ sedis pro sacrarum tranquillitate rerum placatus admittis? Hoc enim hoc expedit, ut si vtraque Roma pro mutuo pignore



Rom. 1. 8.

nuncupatur, fiat vtriusque vna fides illa Romanorum, quam per vniuersum mundum prædicari beatus Paulus testatur Apostolus, sicut apud nostros floruit indiscreta maiores: & quæ genere concordat, ac nomine, non sit religione diuisa, per quam etiam discrepantia copulantur. Putasne me, venerabilis Imperator, non cum lacrymis ista profundere, & velut præsentem ad tuæ pietatis vestigia? Nec enim piget, in tali maxime causa, imperialibus officiis inclinari, cum se Apostolus omnium factum dicat esse peripsæma. Hæc diutius tacui, ne aliis contraria suggerentibus irreuerentiam meis potius literis commouerem. Verum nunc facultate percepta, qualiter vigeat in meo corde vestræ pietatis affectus insinuo: quia successus traditæ vobis diuinitus potestatis superna cupio propitiatione

1. Cor. 4.  
43.

tiatione constare. Neque, venerande fili, respuas supplicantem, neve meam velis dissimulare personam. In me enim qualicumque vicario beatus Petrus Apostolus, & hæc in illo, qui Ecclesiam suam discerpi non patitur, ipse etiam Christus exposcit. Absit, vt huic quemquam Christiana mens tua vel possit, vel debeat anteferre, quem pro te votis omnibus desideras exorari. Præsertim cum tanta sint illa, vel talia, quæ tyrannide deleta pro fide catholica gessisti & geris, vt plena à Deo vestræ conscientiæ experimenta teneamus. De quibus etsi quid fortassis omissum est, non respicit nisi perfidi virus Acacij: qui dum inlicitis crescere tendit augmentis, ea quæ rectæ religioni congruerent, vobis intercuras publicas occupatis destitit intinere. Nam pietas tua quomodo

non sequendum potius existimaret, quod fecisse conspiceret sacerdotem? Unde diuino iudicio nullatenus potuit, etiam cum id mallems, absolui. Quapropter magis magisque supplicare non desino, vt cum suis nominibus atque personis feralis illa causa transferat: quo nos, annuente Domino nostro, certa perfecta que lætitia necti valeamus cum præfule nunc creato, beati Apostoli voce dicentis, *Si qua igitur in Christo noua creatura, vetera transferunt, omnia facta sunt noua.* Literæ certè vestræ catholica fidei prædicant vnitatem, pacemque Ecclesiarum regia pietate pronuntiant. Quæ cum debito honore legerentur, qualiter mecum totus ordo Romani presbyterij vitam vobis prosperitatemque continuam promptus exorans, repetitis assidue vocibus acclamarit, & hi qui directi sunt audie-

1. Cor. 1.  
17.

runt, & vbique velox tam præclari nuntij legatio putabatur obuiare. Necessitati populi Alexandrinæ ciuitatis magis in ea parte prospiciendum est, vt à pestiferi rectoris retrahatur insidiis. Concurrant omnia, rogamus omnes, vt quemadmodum docet Apostolus, auferatur de medio qui nos conturbat: & ea quam augustæ memoriæ Leo, pater eruditiorque vester, iugiter custodiuit, vel vos magnanimiter seruare decernitis, Ecclesiarum fida pax, vera sit vnitās. quoniam cuiusque personæ paterna fides, & beati Petri communio debet præferri. Atque ad vestram gloriam, sicut imperij vestri felicitas, ita post Deum pertinere doceatur regni cælestis integritas. vt de conseruatis Ecclesiæ suæ legibus tranquillitatis tuæ beneuolentiam Christus adsumens, & temporalia

Gab. 12.

tibi dona multiplicet, & præster  
æterna.

## EPISTOLA V.

Felicis III. Papæ ad Flavitam Episco-  
pum Constantinopolitanum.

*Quod Legatos eius à communione propterea  
suspendit, quia de Acacy, Petrique no-  
minibus nihil sibi mandatum responderint.  
Hortatur ut & ipse ab his recitandis absti-  
neat, & Zenoni id ipsum persuadeat.*

FELIX FLAVITÆ EPISCOPO  
Constantinopolitano.

**M**ulta sunt quæ nobis præbeant  
de tuæ dilectionis ordinatio-  
no lætitiâ, & sperare diuino bene-  
ficio cohortentur Ecclesiasticæ pacis  
effectum. Primum quidem, quod ta-  
lem te gratia cælestis elegerit, cuius à  
puero vita probabilis adseratur, & ca-  
tholicæ fidei, quod ante omnia cupi-

mus, prædicetur intentio. Deinde  
quia inter hæc munera tuæ Domi-  
nus caritati domini quoque filij no-  
stri gloriosissimi principis votum  
contulit & fauorem. quatenus pote-  
statis fultus, Deo præstante, subsidio,  
facilius valeas experere, quæ secun-  
dum veritatem sapienter intenderis.  
Postremò quòd omnia propemo-  
dum, quæ tui sequuntur honoris  
exordium, tam benevolentiam no-  
bis clementiæ principalis ostendunt,  
quàm tuæ produnt speciem volun-  
tatis. Dum scilicet ad Apostolicam  
sedem regulariter destinatur, per  
quam largiente Christo omnium so-  
lidatur dignitas sacerdotum. Quòd  
ipsæ dilectionis tuæ literæ Apосто-  
lorum summum, petramque fidei, &  
cælestis dispensatorem mysterij cre-  
ditis sibi clauibus, beatum Petrum  
Apostolum confitentur. Quòd deni-

150 PONTIFICVM ROM.  
que, vt ampliùs esse vnanimis valeamus, nobiscum dilectionem tuam orthodoxæ fidei habere velle testantur assensum. Quæ cum non mediocria videantur indicia, quibus de tua mente nobis procedere votiua credamus, ad testimonium maius accessit, vt filij nostri religiosi monachi, recte fidei confessione pollentes, pariter huc venirent. Quibus vtique visis, æstimauimus non aliter destinatos, nisi nominibus damnatorum, à quorum isti communionem distabant, de Constantinopolitana Ecclesia iam repulsis. Itaque nihil superesse perspeximus, nisi vt hi qui dilectionis tuæ synodica baiulabant, communionis Apostolicæ participatione fruerentur. Sed dum cum ipsis sollicitiùs ageretur, vt si mallent B. Petri Apostoli communionem fidei corde suscipere, responderent vel se, vel

EPISTOLA. 151  
dilectionem tuam ab Alexandrini Petri, Acaciique deinceps recitatione futuram modis omnibus alienam: illi nihil sibi tale mandatum fuisse perhibentes, oblata salubriter gratiæ nostræ consentire noluerunt. Quæ eorum cunctatione permoti, cum literæ venientes, vel ipsa rerum dispositio aliud promittere videretur, & relatio prædictorū longè aliter quàm sperabatur efferret, communionem quidem nostram contristati distulimus. quam remotis dubietatibus optabamus plenam catholicæ fidei, & hoc, quòd circa orthodoxam fidem consensum nobiscum se habere promisit, arbitramur esse venturam. Alioqui nihil nobis poterit imputari, si complectentibus fœdera caritatis, beati Apostoli Petri consortio Alexandrini Petri societas præferatur. Erit enim apud Deum hominès-

que manifestum, talia perpetrantes non nostro vitio, sed suo prorsus arbitrio separari. idemque antè tribunal Christi modis omnibus terribiliter iudicandum. Non sumus pertinaces, sed dogmata paterna defendimus: quemadmodum etiam tuæ dilectionis pagina designauit, zelum pro orthodoxis ostendere nos debere. Calchedonensi Concilio, quod vniuersalis sanxit & custodit Ecclesia, Eutyches & Dioscorus non probantur esse damnati? An eorum complices Timotheus atque Petrus instructionibus plurimis conuenientibus non docentur, sicut hi quoque quos misit tua dilectio peruiderunt? An eorum communionem, frequenter & regulariter interdicens nobis, non est secutus Acacius, quos ipse suis epistolis hæreticos dixerat, olimque dānatos, & malè rursus edificans,

quod bene antè ipse destruxerat, secundum Apostolum præuaricator apparuit? Ideoque iuxta præfatæ Synodi tramitem, meritò illic damnatæ perfidiæ parem cuncti subiere vindictam, qui huius maluerunt esse participes. quemadmodum contra vnamquamque hæresim Synodus constituta, cunctos etiam deiectæ similes prauitatis adstringit: ne in successoribus omnino reparandum esset, quod in auctoribus iustè monstratur esse prostratum. Absolui autem Petrus nulla ratione potuit sine Apostolicæ sedis assensu, qua fuerat mandante seclusus, sicut de recipiendis talibus forma veterum testatur Antistitum. Qui etiam Petrus, si de legitima fuisset curatione sanatus, ad indulgentiam suscipi deberet, non ad sacerdotij dignitatem. qui à damnatis atque hæreticis institutus, catholicis plebibus

nulla posset ratione præponi. Per-  
 spexisti & ipse nobiscum salutaria ef-  
 se quæ dicimus. Vnde etiam in tuis li-  
 teris, cum de beati Petri fide loque-  
 ris, quod cum tota gratulatione legi-  
 mus, catholica mente posuisti: Et  
 „ qui cum eo sicut vos credunt conso-  
 „ na voce gloriantes dispersa colligere  
 valeamus. Quæro igitur quænam il-  
 la sint, vel qua rerum perturbatione  
 dispersa. Nec alia nunc prorsus oc-  
 currunt, nisi quæ per Eutythianæ pe-  
 stis eiusdem sequacium sunt excogi-  
 tata vesaniam. Dilectio verò tua ope-  
 ram det nobiscum, quatenus possint  
 quæ te quoque fatente dispersa sunt  
 colligi. Voce vtor Apostoli, *Obsecro*  
*vos, nihil me lasistis.* Non hoc velut  
 imperiosus impono, sed vt conscien-  
 tiam meam conuenienter expediam.  
 Ne commissæ vobis diuinitus ratio-  
 nables oues, non sine vestro disci-

Gal. 4.11.

mine, quod absit, perire sinantur, ex-  
 hortor. Cogitate simul omnes, qui di-  
 gnitate pastorali cæsemini, pro Chri-  
 stiana fide, quæ tunc est Christi si ve-  
 ra est, & viuendum nobis, & si oport-  
 uerit sacrosanctæ religionis amore  
 moriendum. Perpendite igitur ipsius  
 vitæ semper tempus incertum: ne re-  
 pentè rapti ad cognitionis illius for-  
 midandæ trahamur examen. Vnde  
 propensius tanquam præsentem di-  
 lectionem tuam iure caritatis vehe-  
 menter adstringimus, vt fortem infe-  
 licis Acacij perhorrescens, qui sicut Act. 1.23.  
 scriptum est, vt iret in locum suum,  
 etiam nobis conantibus, non est per-  
 missus absolui, quo vales tenore con-  
 tendas, vt catholicorum illius vrbs  
 Antistitum magis monstreris esse i-  
 mitator, & domnum filium nostrum  
 gloriosissimum principem, coniu-  
 gëmque eius, adiuncta tecum mea

prece, non desinas suppliciter exorare, vt sicut deuoti Ecclesiæ filij, & obsecrationes nostras clementer admittant, & pro sui regni salutisque perpetuæ perfici consideratione discernant. Nec dilatæ communionis Apostolicæ tua causetur dilectio tarditatem. Nollemus qualicumque difficultate suspendi, nisi respectus catholicæ veritatis obsisteret, cui dilectionem quoque tuam summis viribus inhærere vel opto, vel moneo. Nomen igitur Petri & Acacij tollatur è medio: nec apocrisiariis damnati Petri misceamur, aut literis. Et sicut ait Apostolus, *Abscindantur qui nos conturbant.* Iterumq; vt ipse pronuntiat, *Expurgate vetus fermentum, vt sis noua conspersio,* cum nominibus personisque suis præterita causa deleatur. Nobis Deo inspirante prouisuris rationabiliter, vt scripsi-

Gal. 5. 11.

1. Cor. 5. 7.

mus, si cuncta conuenerint, vt eorum quos ordinauit vel baptizauit Acacius, salua confessione catholica, pro caritatis Ecclesiæ redintegratione nihil pereat. quatenus pax illa proueniat, quæ fecit vtraque vnum: non illa quam propheta condemnat, *Pax, pax, & non erat pax.* & caritas, quam tua dilectio suis sæpe literis postulauit, pura succedat, de qua dicitur, *Caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Nihil sit commune luci cū tenebris: quia non possumus, nec debemus mensæ Domini participare, & mensæ dæmoniorum. vt tibi creditis ouibus præteritorū cōgregatione mūdatis, fiat vnus grex, & vnus pastor. Scriptum esse meministi, *Si rectè offeras, & rectè non diuidas, peccasti.* & propheta clamat, *Inter mundum & immundum non discernebatis.* Quæ vniuersa summatim illa circumspectio-

Ezech. 15.  
10.

1. Tim. 1. 5.

Gen. 4. 7.

Ezech. 12.  
26.

ne perstringimus, vt cordibus salubriter expiatis, tam firmam sine dubitatione, quàm veram, tam perpetuam, quàm vnitam possimus tenere concordiam. Quantocius ergo super his tua nos reddat dilectio certiores: vt Deo nostro perficiente quod cœpit, in compage corporis Christi plena valeamus reconciliatione consentire.



Codex Virdunensis hanc tribuit Gelasio. at Gelasius hoc tempore Pontifex non erat, sed Felix. Liberatus Breuiarij cap. 18. Moritur, *inquit*, Acacius, & ordinatur post eum Flauitas presbyter, qui fuit à sancta Thecla. qui non consensit sine Romano Pontifice intronizari, sed transmisit fynodicam Papæ Romano Felici. Qui modico viuens tempore moritur non accipiens epistolam ipsius. Vide Nicephorum lib. 16. cap. 19.



## EPISTOLA VI.

Felici III. Papæ ad Thalassium  
Archimandritam CP.

*Ne cum Ecclesia Constantinopolitana, vel illius Episcopo, ipse aut monachi eius ante communicent, quàm à sede Apostolica iussum fuerit.*

FELIX THALASIO.

**P**ost factas literas, quas per filios nostros religiosi propositi viros dilectioni tuæ misimus contradendas, ne quid minus pro catholicæ fidei custodia diligentior cura prospiceret, caritatem tuam duximus admoſendam, vt etiamsi, præstante Deo nostro, nomina damnatorum, id est Alexandrini Petri & infelicis Acacij, fuerint de Ecclesiastica recitatione sublata, vt similes perditio-



nis eorum sacerdotij non permittantur præsumere dignitatem, non prius tua dilectio, vel congregatio quam gubernas, Constantinopolitanæ Ecclesiæ, vel quicumque eius futurus est pontifex, communicandum esse decernat, quam ad notitiam sedis Apostolicæ cuncta referantur, vel ipsius literis qui fuerit creatus Episcopus, vel tuæ dilectionis alloquiis. Quia sicut per professionem catholicam sedis Apostolicæ formam secutus es, ut te à damnata communione suspenderes: ita beati Petri sequi debetis exemplum, ut quando eius auctoritate fuerit relata communio, tunc eis etiam tuum noueris miscendum esse consortium. Nec quisquam dilectioni tuæ omnino persuadeat iam nostram communionem illis partibus fuisse commissam, cum videas adhuc res in du-  
bio

bio constitutas, & apud nos de illic creato Pontifice omnia haberi prorsus incerta. Neque posset cum eo sociari communio, cuius adhuc à nobis nec honor probatur esse susceptus, nec fides atque intentio comprobata. Expectet ergo dilectio tua sedis Apostolicæ iussionem, & sic Ecclesiæ Constantinopolitanæ sacra se communione coniungat, si in participatione beati Petri & catholicæ veritatis desiderat permanere. Data Kalendas Maias. Probo & Fausto vv. cc. Indictione XIII.



*Superiori epistola titulus in veteri codice præfixus est huiusmodi. Exemplum epistolæ, quam per-  
tulerunt in legationem directi monachi, ad  
Rufinum, Hilarum, & Thalassium, Archiman-  
dritas Constantinopoli.*



## EPISTOLA VII.

Felicis III. Papæ ad Vetricanionem  
Episcopum.

*Discidij Ecclesie Constantinopolitana causas  
exponens, hortatur ut Zenonem ad unio-  
nem cum Romana instauran-  
dam permoueat.*

FELIX VETRANIONI EPISCOPI.

**Q**UOD vnitatis Ecclesiasticæ  
plena cupimus redintegratio-  
ne firmari, multorum relatione com-  
perimus, dilectionem tuam, & egre-  
giis moribus diuina gratia tribuente  
pollere, & domni filij nostri Christia-  
nissimi principis familiaritate subni-  
xam: paratamque fraternitatem tuam  
catholicę fidei causam, si manifestius  
panderetur, libere & prudenter ad-  
struere. Quibus de tua mente sumptis

indiciis, talem te veritatis auctorem  
esse perpendimus, qualem illic desi-  
derauimus inuenire. Gratumur igi-  
tur, quòd hereditatem suam non vs-  
quequaque Dominus repulisset, sed  
in eorum cordibus flammam rectæ  
confessionis seruaret absconditam,  
qui siue se à communionem confusa  
penitus abstinerent, siue in eam per  
ignorantiam recidissent, mallent ta-  
men & declarari quæ recta sunt, & se-  
cundum traditionem veterum com-  
probata sectari. Atque ideo adloqui  
caritatem tuam nostro modis omni-  
bus sermone curauimus, & de his quæ  
Ecclesiam Christi fecerint diffidere  
competenter instruere. In Calchedo-  
nensi itaque Synodo, quæ de Conci-  
lij Nicæni tenore procedēs, pro Chri-  
stianæ confessionis integritate ser-  
uanda, tam auctoritate sedis Apосто-  
licæ, quàm vniuersalis Ecclesiæ est

celebrata consensu, Eutychem atque Dioscorum constat fuisse damnatos. Quorum Timotheus & Petrus extitisse docentur proculdubio sectatores, eorúmque se communioni nefariæ miscuisse, etiam cum à nobis prohibitus est, Acacius: atque ob hoc, ex forma Synodi memoratæ, similem cunctos, quæ præfixa fuerat prauitati, damnationis incidisse sententiam, cuius se elegerunt esse consortes. Unde meritò prædictus Acacius Apostolicæ sedis, quæ nunc exsecutrix utique sæpèdicti Calchedonensis Concilij pro fide catholica tunc probati non defuit, iterata excommunicatione depulsus est, ne per eum quod absit nos quoque reddamus complices perditorum. Neque Petrum quicumque legitimè credat esse purgatum, qui non à beati Petri Apostoli sede receptus est, qua fuit mandante de-

iectus. Bene enim dilectionem tuam nosse non ambigo, quòd personam huiusmodi, cum ita ratio postularet, non nisi Ecclesiasticæ legis ordine competenti, sicut diuinitus constitutum est, vel possint, vel debeant conuenienter absoluerè. Quod cum factum non sit, manifestum est Petrum in ea qua pridem fuerat peruersitate ac damnatione detineri. Qui etiam si legitimè corrigi voluisset, indulgentiam consequi debuit, non Ecclesiasticam dignitatem: quia ab hæreticis damnatisque falsi sacerdotij nomen assumens, Ecclesiæ catholicæ nullis regulis potuit præsidere. Hæc autem, quæ de prædictis gesta narrauimus, documentis inde venientibus approbantur, sicut Constantinopolitani clerici, qui directi sunt, agnouerunt. palàmque monstratum est, Acacium se eorum fecisse participem, quos

fuis literis hæreticos, & retulerat ipse damnatos. Perceptis ergo summam dilectio tua, quæ videntur Ecclesiarum fecisse discidium, nosque perpendens non immerito pro fide catholica extitisse sollicitos, non solum deinceps se à communione damnatorum studeat custodire: sed Christi gregem qua valet industria retrahere non quiescat, & domino filio nostro Christianæ mentis Augusto incessabiliter suggerere non omittat, vt operis sui memor, quod fide catholica, inspirante Domino nostro, clementer dicitur exsecutus, plenam temporibus suis pacem, & Christi veritatem sinceram, vt præcipuus sacræ religionis filius, & pia deuotione conspicuus, tranquilla dispositione restaret, & de Ecclesia Constantinopolitana Petri Alexandrini nomine Acaciique sublato, pro quo tempestas

omnis exorta est, intemeratam paternæ traditionis & fidei post Dominum benignus efficiat vnitatem. Quæ nunquam fuisset vtique temerata, si hanc Imperatori Christianissimo fideliter Acacius insinuare voluisset. Sed dum patrum terminos transferre molitur, & ambitionibus suis præuaricationis aditum impudenter exquirat, nec venerabilia dubitauit decreta calcare, & inter curas publicas occupato principi venerando dissimulauit quæ nouerat vera suggerere: talem se conscientiam circa salutem regiam potestatemque gestare demonstrans, qualem in negotio ipsius religionis exhibuit. Vnde, quod non sine diuini iudicij terrore dicendum est, etiam nobis si requisisset optantibus, non est permissus absolui. Quomodo autem dominus filius noster venerabilis Imperator non hoc

sibi iudicare posset faciendum, quod cerneret sacerdotem vel facere, vel docere? Quapropter adiuncta secum mea prece, dilectio tua sæpèdictum domnum filium nostrum supplicatione qua potest, & lacrymarum professione deprecetur, vt patienter permittat abscidi qui nos conturbant: ne in successoribus hæreticorum reparasse videamur, quod in auctoribus eorum certum est fuisse damnatum. priorumque consimiles opprimere non sinat Ecclesiasticam dignitatem: quatenus Apostolica voce dicamus, *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transferunt, ecce facta sunt omnia noua.* Ecclesiam Constantinopolitanam nobis, sicut semper, vnitam sua post Deum placiditate concedat. Quoniam & hoc præsentis felicitatis eius incrementa desiderant,

1. Cor. 17

& consequendæ fructus æternitatis exposcit. Dilectionem verò tuam specialiter commoneo atque contestor, in illo nostri Saluatoris examine formidando rationem mihi modis omnibus reddituram, si quæ pro integritate salutis humanæ, pro orthodoxa atque regulari constitutione maiorum, & veraci atque sincera totius Ecclesiæ pace reparanda delegavi, quod de tua mente non credimus, segnius exequaris.

*Ex eodem codice Viridunensi.*

FELIX ANDRÆ EPISCOPO  
Thessalonicensi.

Quod plenè catholicæ fidei cupimus redintegratione firmari, sollicitudinem dilectionis tuæ, qua ad sedis beati Petri communionem venire desideras, libenter amplectimur: sed eam vellemus, sicut orthodoxæ veritatis cautela deposcit, ex omni fieri parte constantem.

## EPISTOLA VIII.

SIVE

TRACTATVS GELASII

PAPÆ.

*In quo etiam ponit exempla epistolarum Simplicij Papæ atque Felicis, quòd Timothei Aeluri, vel Petri Alexandrini impietatem olim cognouerint, vel visi fuerint iudicasse. Postea propriis prosequitur dictis, instruens quid aduersus Græcos debeat responderi.*

\* \* \* \* \*

EX EPISTOLA SIMPLICII PAPÆ  
ad Acacium.

*Epist-17.* **I**llud, inquit, me non mediocriter facit attonitum, quòd iisdem literis suis Petrum, qui hæreticorum dudum socius extitisse proberetur & princeps, quod conscientiam dilectionis tuæ meminimus non latere, instructionesque ipsas, quibus fuerit confutatus, nosse confidimus,

quémque etiam dubium non sit adhuc extra cõmunionem durare catholicam, sæpèque nos de eadem ex illa vrbe pel-  
lendo scripsisse sit certum, ad præfatæ Ecclesiæ regimen existimet prouehendum: eúmque promittat rectæ fidei definitionibus conuenire, à cuius vtique, sicut superius dixi, consortio tam degit extraneus, quàm ab eius cõmunionem discretus est. Ad quam si nũc redire contendit, nisi per satisfactionem Christianis regulis competentem non potest introire. ac perinde non ad fastigium sacerdotalis dignitatis accedere, sed medelæ, quæ post pœnitudinem præbenda est, consequenter aptari: animæ suæ cupiens reconciliatus auxilium, non gradum summi honoris affectans, qui diu conuincitur fuisse peruersus. ne per speciem remeantis non remedium sinceræ saluationis inquirat, sed facultatem propagandæ prauitatis inueniat. Quo factò non hunc magis ab errore detrahimus, quam perniciem fidelibus irrogamus. eoque modo Calchedonensis Synodi statuta violantes, aditum sæua copulatione grassandi in Ecclesiam lupis rapa-

cibus aperimus. Denique ab eisdem ipsis, cum quibus olim à catholica participatione diuisus est, pontifex dicitur postulari. vt satis euidenter appareat, non eos rectam fidem velle, sed in præfule proprio nefandi dogmatis quærere potestatem. neque inter ipsos, & veraciter sentientes, pax inde possit fida generari, vnde hæreticarum mentium crescit funesta damnatio, & catholicorum miserranda captiuitas.

EX EPISTOLA FELICIS PAPÆ  
ad Zenonem Imp.

Epi. 1.

VBI esse, *inquit*, iam consequens proculdubio peruidetis, Alexandrinæ Ecclesiæ peruasorem, funesta diu impunitate grassantem, vestris præceptionibus, quibus meritò dudum probatur eiectus, esse nihilominus addicendum. An non ipse est, qui per xxx. annos catholicæ desertor Ecclesiæ, inimicorúmque eius sectator & doctor, & ad fundendum sanguinem semper velox fuit & promptus? Nunquid adhuc & istam dissimulationem quadam sumus ex conhibentia recepturi. In quo reuera non est opus dis-

cussione subtili, quia eius aperta sunt crimina.

MVLTA similia in diuersis epistolis eorum diligens lector, si requirat, inueniet. Prætermitto iam scripta & admonitiones Papæ Simplicij, quæ plerique vilia æstimant, & iudicant contemnenda. Illud consideremus attentius, quòd de eodem Petro tunc cùm adhuc sanum fortè saperet, iudicari Acacius, qualémque de eo sententiam ad Apostolicam sedem direxerit.

DOMINO SANCTO, ET BEATISSIMO  
patri, Archiepiscopo Simplicio  
Acacius.

SOLLICITVDINEM omnium Ecclesiarum secundum Apostolum circumferentes, nos indefinenter hortamini, quamuis sponte vigilantes ac præcurrentes. Sed vos diuinum zelum solitò demonstratis, statum Alexandrinæ Ecclesiæ certius re-

quirentes, vt pro paternis canonibus suscipiatis laborem, piissimo stillantes sudore pro his, sicut semper est adprobaturum. Sed Christus Deus noster, qui diligentibus se in bonum cooperatur, nostris cogitationibus insidens, & vnam nobis in his mentem, atque eandem pro gloria sua esse cognoscens, omnem victoriam esse perfecit, consortes nos cum tranquillissimo principe faciens, & Timotheum quidem decessorem spirantem procellas, & Ecclesiasticam tranquillitatem, sicut apparuit, conturbantem vitæ subduxit humanæ, dicens ei, Tace & obmutesce. Petrum quoque, qui ab Alexandria more similiter procellæ surrexerat, dissipauit, atque in æternam fugam Spiritu sancto flante conuertit, vnum & ipsum de his qui olim fuerant & antè damnati. Sicut enim in nostris archiuis inuentum est, & de vestris scriniis, si dignamini requirere, poteritis agnoscere, quæ in tempore de eodem subsecuta, ab Alexandrino Episcopo Romam ad alterutrum sint relata. Qui Petrus filius noctis existens, & operum diei lucentium alienus apprensus, omnino tenebras ad latrocinium

peragendum congruas eorum cooperatore inueniens, media nocte, adhuc iacente cadauere illius, qui paternos canones subuerterat, insepulto, subrepfit in sedē, sicut ipse arbitratus est, vno & solo præfente, & eo qui consors illius insistebat infantiæ. ita vt propter hoc maioribus suppliciis subderetur. nec quod sperabat effectum est. Sed ille quidem de se ex parte vel minima iudicans nusquam penitus omnino comparuit. Timotheus autem paternorum canonum custos, qui Dauidicæ mansuetudinis exemplo subditur, & vsque in finem patiens, atque potestati propriæ restitutus à Christo, propriæ sedis honore lætatur: & spiritualium filiorum voces accipiens, gratiam curationis expectat, multiplicato in se honore à Christo principe sacerdotum.

ECCE testimonium Acacij validissimum, quid de Timotheo, quid de Petro senserit. Verè enim, sicut scriptum est in Euangelio de Caipha illo Pontifice, euenit Acacio. Dicitur enim de illo, quia cùm esset prin-



ceps sacerdotum anni illius, de Domini dixerit passione, *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, ut non tota gens pereat.* Et subiungit Euangelista beatus Ioannes, *Hoc, inquit, à semetipso non dixit, sed cum esset princeps sacerdotum anni illius prophetauit.* Ita & hic, cum in summi esset sacerdotij dignitate locatus, vtrum nolens an inuitus, dubitare quippe nos eius varietas & inconstantia fecit, verissimam de inimicis Dei tulit sententiam. quam si seruare voluisset, procellam, quam ab Ecclesia veraciter depulerat, rursus in Ecclesiam ipse non reuocasset: & de quo dixerat, *Tace & obmutesce,* rursus Petri personam loqui in Ecclesia minimè permisisset. Quem similiter procellam à sancto Spiritu dissipatam esse prædixerat, quemque filium noctis asseuerauerat, & quem ab opere lumi-

nis alienum, amantemque tenebras latronum operibus cōgruas esse narrabat. qui falsum sacerdotij nomen, ab eo qui paternos, vt ipse ait, canones subuerterat, artibus dolosis sibi ipse imposuerat. Hic Petrus, de quo beatæ memoriæ Timotheus catholicus, vt ipse dixit, paternorum custos canonum, Alexandrinæ quondam Ecclesiæ pontifex, ad sedem Apostolicam multa retulit deteriora, quàm superiùs continentur, asserens specialiter & affirmans inimicum fidei, inimicum Calchedonensis Synodi per omnes extitisse infelicitatis conatus. Quid igitur nobis faciendum est? Non credimus tot & tantis tantarum sedium sacerdotibus, qui omnes vno ore, vno consensu, publicam & feralem humanæ salutis bestiam Petrum esse dixerunt, in cuius se communione, perniciofa conjunctione, suaden-

te dæmonico spiritu, infeliciter fo-  
ciauerat Acacius, malè rursus ædifi-  
cans quod bene destruxerat? Nec  
opus plura hinc dicere, cùm timen-  
tibus Deum, & formidantibus diem  
iudicij, & Ecclesiæ vnitatem diligen-  
tibus, satis apertèque causa sit clara.  
Hæc enim sola ratio est, quæ vnita-  
tem diuidit, & concordiam dissipat:  
quia quamdiu præuaricatorum no-  
mina de Ecclesia non auferuntur, pa-  
cis vinculum nullatenus redintegra-  
re permittunt. Si enim licet sectato-  
rum vel communicatorum Eutyche-  
tis, vt fuit eius sectator Petrus, &  
communicator Acacius, in Ecclesia  
nomina recenserit, cur de sectatori-  
bus & communicatoribus Arrij, vel  
ceterorum hæreticorum, simili forte  
non liceat? An minoris impietatis &  
perfidie Eutyches fuisse putatur,  
quàm Arrius? Nemo hoc quidem

fani capitis audebit dicere. Si ergo  
par est impietas, par sit & vtrorum-  
que detestatio. ne si semel talis fuerit  
intromissa licentia, omnibus exinde  
omnia liceant, fiatque, quod absit,  
tam passiuæ rerum confusio atque  
commixtio, vt nulla inter mundum  
& immundum sit secundum prophe-  
tam certa discretio. Non est quidem  
nostræ humilitatis, de totius orbis  
dissensione ferre sententiam: est ta-  
men nostrum de propria salute esse  
sollicitos. quoniam vnusquisque pro  
se rationem redditurus est ante illud  
tribunal iudicis & regis æterni, in quo  
etiam de verbo otioso, minimoque  
quadrante, sumus nostrorum ratio-  
nem actuum præstituri. Vnde & opta-  
mus, qualiacumque & quantacum-  
que super nos importauerit inimicus,  
tolerare discrimina in sæculo præ-  
senti, tantùm ne causas incurramus

Ezech. 11.  
26.

mortis æternæ. Sed dicitur de Petro, quamquam sine approbatione dicatur, præsertim de homine perspicacissimo, qui per xxx. annos famosus expugnator fuerat veritatis, quòd pœnitentia acta susceptus sit in Ecclesia. Nunquam igitur per xxx. annos agere potuit pœnitentiam, nisi tunc cùm Episcopatus amore & ambitionis ardore feruebat? O rem monstro simillimam! antè illum potuisse locum suum sacerdotij obtinere, quàm posset vel breui spatio pro tam immani crimine pœnitens videri. Sed soluit illum, inquit, auctoritate sua priùs Acacius, & sic suscepit. Utinam seipsum miserrimus omnium, secùmque quamplurimos, nò æternæ mortis compedibus alligaret! Qui cùm superbissimo perflatus spiritu thronum humilitatis altiùs efferre conatur quàm decuit, & præ-

sumptionibus suis aditum vndecumque conquirat, simulque per fas & nefas calcat & transit inuiolabilia statuta sanctorum, cùm ipso quem imitatus est auctore superbiæ, in profundissimam ruinam deiectus, id dereliquit Ecclesiæ, vnde lugerent pacifici, fidelésque & humiles flerent. Si enim ille modum temperata potestate seruasset, nec Petrum hæreticum, nullo regulari ordine absolutum, pro eius audaci temeritate, in sua societate hodie Ecclesia suspiraret assumptum: nec caritatis, quæ omnium virtutum est perfectio, & sine qua secundum Apostolum inania sunt vniuersa quæ facimus, tanta filij pacis dispendia paterentur, nec mordendo inuicem consumerentur inuicem. Sed quolibet modo dicatur Petrus esse susceptus, apparet tamen eum fuisse hæreticum, qui pœnituisse

1. Cor. 13.

pro peruersitate defenditur: & quòd prauus & infidelis fuerit, & de Ecclesia Ecclesiastico iure proiectus, ambigi dubitarique non potest. Sed concedamus paulisper pœnituisse eum, quod nullatenus verum est. videndum ergo est quomodo, id est vtrum qui ordine competenti, regulari scueritate excisus & extirpatus est, pœnitens rectè & consequenter receptus sit. Sed nunquam docebitur, nunquam monstrabitur, nunquam omnino probabitur, eius purgationem fuisse legitimam, quæ non est competentibus regulis celebrata. Secundæ enim sedis Antistitem nec expellere quisquam, nec reuocare, sine primæ sedis assensu, vel potuit, vel debuit. Nisi fortè confuso iam ordine rerum atque turbato, nec prima, nec secunda, nec tertia sedes debeat obseruari, vel suscipi secundum antiqua

statuta maiorum, & sublato capite, vt videmus, omnia membra vario inter se compugnent certamine, fiatque illud quod de populo scriptum est Israël: *In illo tempore, non erat dux in Israël. unusquisque quod placitum erat in oculis suis faciebat.* Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus defendendum est, si primæ beatissimi Petri sedi antiqua & vetusta reuerentia non defertur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorúmque decem & octo patrum inuicto & singulari iudicio vetustissimus iudicatus est honor? Vt pote qui Domini recordabantur sententiam, *Tu es Petrus, & super hanc petram fundabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non preualebunt aduersus eam. Et tibi dabo clauēs regni cælorum, & quæcumque ligaueris vel solueris in terra, erunt ligata vel*

Iudic. ar.  
24.Matt. 16.  
18.

Luc. 22.  
32.Ioan. 21.  
17.

*soluta in celo.* Et rursus ad eundem, *Ecce ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuertere, et confirma fratres tuos.* & illud, *Si amas me, pasce oues meas.* Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? nunquidnam reliqui sancti & beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio, & vna monstraretur compago corporis Christi, quæ ad vnum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret: & vna esse Ecclesia, cui fideliter crederetur, vnâque domus vnus domini, & vnus redemptoris, in qua de vno pane & de vno calice nutriremur. Qua ratione, sicut dixi, maiores nostri, reuerendi illi Ecclesiarum magistri, clarissimâque illa populi Christiani lumina, quos merita virtutum

suarum vsque ad confessionis gloriosissimas palmas, & martyrij fulgentes extulere coronas, ad illam sedem, quam princeps Apostolorum federat Petrus, sui sacerdotij sumpta principia repleti Christi caritate mittebant, suæ inde soliditatis grauissima firmitatis roboramenta poscentes. Vt per hanc speciem omnibus appareat, verè vnâ esse per omnia, & indissolubilem Christi Ecclesiam, quæ concordia vinculo, mirabilique caritatis textura composita, sola & indiuisa per totum ostenderetur esse tunica Christi, quam nec milites ipsi, qui Dominum crucifixerunt, diuidere ausi fuissent. Quæ nunc si propter perfidiam Petri, Acacij tyrannicam superbiam, impiamque præsumptionem eius, violatur atque conscinditur, videte & sapienter expendite, in quam graue periculum

nostra deducitur conscientia, dum tanta maiorum soluitur obseruantia. Quis enim non agat quodcumque libuerit, si semel in consuetudinem corruptus ordo peruenerit? Si autem hoc sacrilegum est etiam cogitare, cur non cum diligentissima obseruatione teneatur hæc forma maiorum, cum sit in hoc obseruationis tenore ineffabilis indubitataque vnitatis euidens, & grande mysterium? An duæ sunt Ecclesiæ, & duo pastores? Absit. Vnus est enim, qui fecit vtraque vnum, tollens de medio inimicitarum parietem in corpore suo. Cur ergo per Petri & Acacij nomina rursus inimica sepius intexitur, quam semel Christi crux, mors, & sanguis destruxit, soluit, & euertit? Non ergo diuidat eos interpositum Petri & Acacij nomen, quos tanti me-

diatoris pretiosus sanguis vniuit. Postremò æquum est, vt qui alios libenter & competenter vultis habere subiectos, cedatis & ipsi antiquo more maioribus, vt confidenter imperare possitis minoribus vestris. Duodecim certè fuere Apostoli, paribus meritis, parique dignitate suffulti. Cùmque omnes æqualiter spiritali luce fulgerent, vnum tamen principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, vt in præcipua vrbe vel prima primum & præcipuum dirigeret Petrum. Ibiq; sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, æterno hospicio conquiescit, præstans sedi, quam ipse benedixit, vt à portis inferi nunquam pro Domini promissione vin-

catur, omniumque sit fluctantium  
 turissimus portus. In quo qui requie-  
 uerit, beata & æterna statione gau-  
 debit: qui verò contempserit, ipse  
 videbit qualia genera excusationum  
 in die obtendat iudicij, Me enim  
 credo, spero, confido in Christo,  
 quòd ab eius caritate nec tribulatio,  
 nec angustia, nec gladius, nec per-  
 secutio, nec vita, nec mors vnquam  
 poterit separare. Incumbat persecu-  
 tio, sæuiant leges. militi Christi glo-  
 riosius est mori, quàm vinci: frau-  
 dari præsentium commodis melius,  
 quàm carere futuris.



## EPISTOLA IX.

GELASII PAPÆ AD EPISCOPOS  
 Orientales.

*Quòd in Acacij aliorumque damnatione Sy-  
 nodo noua opus non fuerit, & quòd Petrum  
 Alexandrinum absoluerit Acacius sine sedis  
 Apostolica auctoritate non potuerit. Tum  
 de Episcopis catholicis sede sua sine discus-  
 sione deiectis.*

DILECTISSIMIS FRATRIBVS  
 vniuersis Episcopis Orienta-  
 libus Gelasius.

\* \* \* \* \*

**Q**uid ergo isti prudentes viri, &  
 argutis mentibus totius reli-  
 gionis interna rimantes, in Orientis  
 partibus constituti, si cognouerunt  
 huiusmodi personam in Antioche-  
 na Ecclesia constitutam, cur commu-  
 nicando talibus præbuere consen-  
 sum? Cur non illico reclamarunt,

cur non se à tali contagio remouerunt, cum tam euidenter aduerterent, ideo Calendionem depulsum, vt hæreticis panderetur introitus? Quare hîc nihil de Synodo, nihil de re, nihil de fide Christiana, nihil de personarum examinatione tractarunt? Si verò illi eorum se communioni voluntariè subdiderunt, ab Apostolica sede certè separati sunt, cum talibus & apud tales, etiamsi esset necesse fieri, nulla posset omnino Synodus prouenire. Quòd si ignorasse se dixerint qualis Antiochiæ post Calendionem successisset Antistes, quid mirum, si qui in Oriente positi, quæ in regione sua contigerint scire nequiuerunt, ea quæ apud Apostolicam sedem gesta fuerant ignorarent? Cur tamen, posteaquam ad eorum notitiam peruenit qualis esset sacerdos apud Antiochiam constitutus, non eius confor-

tia continuò respuerunt? Quid excusationem de ignorantia colore prætendunt, cum hodièque & manifestata contagia perfidorum, & à nobis sæpius exprobrata sectentur? Quo satis apparet, quia ne tunc quidem etiamsi cognoscerent refutarent, quando nunc etiam publicata non renuunt. Prorsus in quamlibet se partem causationemq; conuertant, manifestæ veritatis ita laqueis suffocantur, vt suis ipsi verbis possint actibusque concludi, nec nisi solam perniciem obstinatae perfidiae residuam ventilare. Hæc autem, quæ de Calendione venerabili dicta sunt, & in Ioannis Alexandrini conueniunt certa ratione personam. Immo, si causa eadem latius inquiratur, tantæ illic tragœdiæ, tanti reperiuntur errores, vt si ipsi sint iudices qui eadem perpetrarunt, cum euidenter fuerint con-



futati, à sui damnatione non temperent. Palàm enim illic apertèq; monstratur, nihil aliud quàm quæsitam causam, quemadmodum, catholico qualicumque depulso Pontifice, hæretico Petro referaretur accessus. Túc istud nemo discutiebat, Synodum nemo poscebat. passim omnia licitò fieri à quibuscumque videbantur. nullum discrimen rerum, nulla examinatio postulabatur Ecclesiæ: sed prout de vno quoq; venisset in mentem, de suis vrbibus catholicus pellebatur Episcopus, non solùm Metropolitanus, sed etiam tertiæ & secundæ sedis Antistes. In his nulla rerum vestigatio quærebat, nulla facienda Concilia iactabantur. Subrogabantur hæretici, nemo resultabat: sed velut muta pecora in captionem ducta, subditis voluntatibus perfidiam sectabantur. Non mirum quidem,

dem, si nunc eos defendere moliantur, quorum indiscussam cæcis mentibus secuti sunt vilitatem. Sed miramur, cur eos non pudeat in istorum damnatione de Synodo non facta causari, cùm sciant tot tantòsq; pontifices nulla Synodo fuisse depulsos. Si in istorum reiectione de non inito Concilio conqueruntur, cognoscant se, cur non & hoc in aliorum reiectione quæsiuerint, accusari. Si verò in ceterorum reiectione Concilia necessaria non fuerunt, nec in istis necessaria fuisse cognoscant. An in catholicorum deiectione non fuit opus, & fuit magnopere congreganda in præuaricatoris dånatione confessi? Quid igitur restat, nisi vt dicant hæreticos non fuisse? Non ergo de Synodo conquerantur, qui se palam communionis externæ perhibent sectatores. Cur enim eis Synodus necessaria fuisse vi-

adhuc reo se miscuit, tam pro eodem non habuit loquendi fiduciam. Nam cum Acacius nullo priuilegio fulciretur, vt de secunda sede posset ferre iudicium, non potuit iure quemquam damnare. Simili modo, nisi primæ sedis auctoritate percepta, nec examinandi Petri ius habuit, nec recipiendi penitus potestatem. Quo regulariter constituto, nec apud nos Petro vllatenus absoluto, quem damnasse nos nouimus, examinasse vel absoluisse nescimus: restat vt illud etiam demonstremus, eundem Petrum, quem se purgatum communionem recepisse prætendit Acacius, nunquam ab hæreticæ communionis contagio cessasse: ac non solum ipso tempore quo communicauit Acacius, sed etiam post communionem præuaricatoris Acacij, semper Alexandrinum Petrum in hæretico-

rum collegio perdurasse. Atque ita & per hunc Acacium perfidæ communionis suscepisse contagium, & per eandem illis hæreticis, quibus Petrus communicabat, eadem peste coniunctum. Qui præsumpsit non seruato ordine Petrum suscipere, nec examinatum eum, nec cognoscitur recepisse purgatum: & ideo præter sedis Apostolicæ notitiam, non legitimam sibi eius receptionem, vsurpare voluisse, vt examinationem eius & purgationem posset pro sua voluntate mentiri, atque eum nec examinatum, nec reciperet omnino purgatum. Quem si reuera vellet examinatum purgatumque recipere, ordinem in eius examinatione & receptione potius custodisset, ne videretur magis, quàm veraciter posset iure purgare. Sicut ergo antè non prius damnauit, quàm & referret, & posceret

Apostolica potestate damnandum: sic & in recipiendo modum seruare debuisset, vt priusquam se ei communionē misceret, per sedem Apostolicam posceret examinari eum, & legitima ratione purgari: cū nec examinandi aut recipiendi eum haberet ipse pontificium, & non nisi per illius sedis auctoritatem consensumque hoc posset implere, sine cuius auctoritate eum non potuerat ipse damnare, & cuius principali diligentia, & discuti potuit & purgari, & ad communionem conuenienter admitti. Cū enim constet, semper aut sedis Apostolicæ auctoritate huiusmodi personas, aut discussas vel esse purgatas, aut sic ab aliis quibus competeat Episcopis absolutas, vt tamen absolutio earum ex sedis Apostolicæ consensione penderet: vbi vtrumque defuit, nec discussionem

legitimam, nec pugationem firmam, ac per hoc receptionem fuisse constat indebitam. Si tu absq; mea communionē Petrum iudicasti esse catholicum, méque despecto tuo eum iure recepisti, quid causeris, si illum ego à communionē mea, quam tu voluisti contemptam, tanquam absque tua notitia vel consultatione repulerim? Vis adquiescere? meus es. non vis adquiescere? non es meus. Qui enim mecum non est, contra me est: & qui mecum non colligit, spargit. Quæro abs te, Petrum hæreticum fuisse putas, an catholicum, an ab hæresi postea esse correctum? Si hæreticum, nullatenus eidem communicare debuisti, & eidem communicando, hæretici te manifestum est factum fuisse participem, & eius consequenter ex Synodi tenore veniente damnatione constringi. Si catholi-

Mat. 12.  
30.

cum, palàm totius dogmatis es defensor, quod catholicum esse pronuntias. Ac nihilominus illius errore censeris, si hæreticum fuisse definias, sed postea correxisse prætendas, eique te purgato communicasse pronuntias. Interim in cuius persona me negligendum esse credidisti, causari non potes quòd in hac eadem te eius persona neglexerim. Deinde cum sine me ius non habueris vel absoluedi, vel recipiendi huiusmodi rite personam, nec purgatam legaliter, nec regulariter constat esse. Quàm regulariter non acceptam, tam legaliter non constat esse purgatam: & ideo non iure purgatam, quia legaliter non receptam. Mea enim in illum manente sententia, te sine me pontificium, vt meam sententiam resolueres, non habente, qua potestate vel discussus est, vel qua auctoritate re-

ceptus asseritur? Ecce interim in his causa vestra nutat & labitur: & si hæc sola fuit, prorsus tota subruirur. Sed est adhuc aliud, quod ad cumulum vestræ contuentionis accedat. Quid enim si doceatur, non solum priusquam in eius communionem veniretis, neque tantummodo cum ad eius communionem venistis, sed etiam postea in hæreticorum nihilominus cum communionem durasse: nonne aut per illam apud vos communio perueniebat hæretica, aut in hæreticam communionem vos eius commercio transiebatis? Docete igitur Petrum Alexandrinum ab Antiocheni Petri vnquam communionem desuisse, & non vsque ad diem cum Antiochenus Petrus in hac luce versatus est, indiuiduum vtrisque fuisse consortium. An dicturi estis & Antiochenum Petrum fuisse correctum,

cui vsque in finem se non communicasse gloriabatur Acacius? Sed quid profuit, quòd illi per seipsum communicare non voluit, cum eidem per Alexandrinum Petrum sine vlla se communicare putaret inuidia? Quid facimus de tot tantisque ciuitatibus, ex quibus catholici pontifices sunt repulsi? Si catholici subrogati sunt, cur catholici sunt reiecti? Sed euidenter apparet, quia cum catholici sunt reiecti, non catholici sunt subrogati. Restat vt catholicis hæretici quicumque successerint. Cur eis temere communicastis? cur non, vt ista noua facies rerum, & tanta tragedia de pontificum successione videntium à Synodo discuteretur egistis? An de vno dolet Acacio, quòd speciali Synodo non fuerit confutatus, cum proprium crimen suis literis ipse detexerit, nec audiri debuerit

iam sponte confessus; & de tantis pontificibus catholicis non dolet sine vlla discussione seclusis? Qui utique, si catholicos nossent eos, quorum communionem vitauerant, his potius cõmunicare maluissent, quàm non communicantes eis dura persecutione depelli. Ecce tanti catholici sacerdotes in hoc ipso se indicant, quid Apostolica sedes censuerit cognouisse, constantèrque probasse retinendum, quòd communionem catholicam reseruantes, & eos qui Apostolicæ sedi communicarent, elegere consortes; & illos, quibus sedes Apostolica decreuerat minimè communicare, vsque ad persecutionis incursum renuere consortes. Certè quæ sedes Apostolica decreuerat, Orientalibus Episcopis non innotuisse iactatur. Vnde ergo tot tantique pontifices vnum idemque cum sede Apo-

stolica sentientes, eamque probantes apta religioni sacrosanctæ veraque sanxisse, quæ non solum sequenda sibi iudicauerunt, sed etiam usque ad persecutionem viriliter exerenda? Ecce habuistis qui Apostolicæ constitutionis, & notitiam vobis ingererent, & retinendi constantiam ministrarent. Si Apostolica sedes misisset, vix duos aut tres dirigere potuerat. Ecce tot pontifices, Apostolicæ sedis scita sectantes, ingerunt vobis notitiam, & præbent seruandæ veritatis exempla. Qui contra tantos clausistis oculos ibidem constitutos, quomodo duos vel tres audire possietis? Hoc ipso sine dubio cognouistis illos Apostolicæ sedi placere, quod vos displicere videbatis. Aut illos ergo sectamini, per quos intelligebatis sedis Apostolicæ voluntatem: aut nihil est quod de ignorantia velitis obten-

dere, cum iudiciis tantis & talibus abutentes, sedis Apostolicæ constituta, tantis testimoniis prædicantibus, respuere potius quam recipere maluistis. Nunquid omnes isti, quos memorauimus Episcopi Imperatori mentiti sunt? nunquid omnes Imperatoris nomen ex diptychis abstulerunt? Cum igitur pellerentur, & viuis pontificibus catholicis successores hæretici crearentur, & non de inferioribus quibusque ciuitatibus, sed etiam Metropolitanis pontifices, in catholica iugiter communionem durantes, cur compassi non estis tantis fratribus vestris? cur non adiistis Imperatorem? cur non Ecclesiæ causam, & sacerdotij miserabilem decolorationem continuatis vocibus defleuistis? allegantes \* nunquam de pontificibus nisi Ecclesiam iudicasse: non esse humanarum legum de

D. xcvi.  
Nunquã  
de Ponti-  
ficibus.

talibus ferre sententiam absque Ecclesie principaliter constitutis pontificibus : obsequi solere principes Christianos decretis Ecclesie, non suam præponere potestatem : Episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus iudicare. Quibus Ecclesie Conciliis, qua Synodo pellerentur : quid denique commisissent, ut sine vlla discussione rerum, tot Ecclesiarum præfules pro humano libitu, & sæcularis potestatis arbitrio pellerentur. Inauditos, indiscussos, inconuictos non debere percelli. Maximè cum noue causæ, & noua rerum facies appareret, ut rectores isti plebium repentinis incursionibus, pro mundanæ potentie voluntate, sacris dignitatibus priuarentur. Ex nulla veteri causa, ex nullo collegio reatus, nec participio cuiuslibet erroris iam antè damnati,

teneri eos conuincique consortes, ut tanquam ex præterita definitione iudicarentur obstricti. Et ideo, quia nullis antè præcedentibus causis reventi essent, cur eicerentur, incurfus qui illi essent, debere monstrari, & Ecclesiasticis legibus, ut semper, oportere constare. Saltem vel pro vestro loco illorum duceretis miserijs consulendum, formidantes in vobis quod in alijs cerneretis præter vllum morem violenter admitti. Si crimine respersi erant aliquo, Ecclesiastica debuit examinatione cognosci. Taceam & ad sedem Apostolicam ex more deferri, ne nostra priuilegia curare videamur. Satis sit ostèdere, quid secundum regulas, & patrum canones facere deberetis. Præcipuè cum etiam ipsæ leges publicæ, Ecclesiasticis regulis obsequentes, tales personas non nisi ab Episcopis sanxerint

iudicari. Si verò de qualibet hæresi fuerant impetiti, tanto magis eos decuit ista cognoscere, qui & secundum religionis tenorem possent ista discutere, & haberent pristinum, ex quo est Christiana religio, pontificium iudicandi. Aut catholici enim erant, aut hæretici, de quibus passim illa ludibria gerebantur, & latrocinia detestanda sæuebant. Si hæretici, prodi, discuti, & legitimè conuinci modis omnibus debuerant, vel suis confessionibus, vel aliorum vocibus confutari. Taceo quia ad nos paterna fuerat consuetudine referendum, tantùmque commoneo quid fieri Ecclesiastico iure conuenerat. Si verò catholici probabantur, vos, qui non solum in eorum depulsione cessistis, sed etiam subrogatis communicare delegistis, indubitanter hæretici. Qui depulsis catholicis secedentibus, non

igno-

ignorastis causam fidei communio-  
nisque catholicæ per tantos Antisti-  
tes toto orbe patefactam: sed planè  
scientes volentesque, sine vlla discus-  
sione rerum, sine vlla synodali exa-  
minatione, sine vlla sedis Apostolicæ  
reuerentia, assensistis hereticis; liben-  
ter habentes, patienterque finentes,  
catholicos Antistites inaudita priùs  
& miserabili sorte detrudi. Quos si à  
fide integra communionèque catho-  
lica putaretis errare, ad Apostolicam  
sedem, secundum scita maiorum, &  
sicut semper est factum, referre de-  
buisstis: sicut de Petro Alexandrino,  
vel de Antiocheno Petro, de Ioanne  
& Paulo fecisse monstratur Acacius.  
Sed quoniam noueratis eos cū Apo-  
stolica sede sentire, & quid sedes Apo-  
stolica sua definitione censeret, per  
illos tãtos ac tales Episcopos constat  
Orietales Antistites nullatenus igno-



ma procederet. Sin verò sedis Apostolicę regulam subsequendo perspiciebatis illos hęc tenere constantiam, consequenter per illos, & quid nostra definitio contineret, non habuistis incertum; & illorum persecutoribus annuendo, à sedis Apostolicę, non ignorantes eius sententiam, consortio retrocessistis. Et adhuc dicitis ignorasse vos quid sedes Apostolica censuisset, cum ab illis sacerdotibus in catholica fide & communione pollutibus, non verbis aut literis, sed personis presentibus, didiceritis vniuersa, & ab eadē vos proprio iudicio separasse videamini. Dicitis etiam Synodum in vnius hominis persona debuisse tractari, quam in damnandis tantis pontificibus catholicis non quæstistis. Quibus autem vultis, vt de talium causarum relatione credamus? catholicis, an hæreticis? ab om-

ni hæreticorum contagione discretis, an hæreticorum communione pollutis? Quis autem non videat illos esse catholicos, & ab omni hæretica peste prorsus alienos, qui propriis vrbibus detrusi, & in exilium sunt redacti: & eos qui superstitionibus catholicis successores fieri ausi sunt, catholicos omnino non esse, sed aut Eutyrianos manifestos, aut eorum sectatoribus communicantes? Hęc pestis apud eos hodięque perdurat: Siquidem & cum Petro Alexandrino, & cum Antiocheno Petro, indifferenter ij qui catholicis successerant communione permixti sunt, & successoribus vtriusque Petri hodięque miscentur. His adde etiam illos, qui licet catholicis non successerint, sed dum catholici pontifices haberentur, talium se communione iunxerunt. Hęc illa mixtura, hęc est illa confu-

sio, qua per Orientem totum inter catholicam hæreticamque communionem nulla discretio est: immo qui discerni temptauerit, potius habetur hæreticus, persecutione percellitur, exiliis & afflictione multatur. Restat ergo, vt in hac colluione cunctorum, sicut quisquis ab eadem separatus est, sinceræ communionis, & ideo catholicus comprobatur: ita quisquis illius detestandi commercij particeps inuenietur, quantum à sincera communionem, tantum à catholica atque Apostolica sit remotus. Nec prætendat quisquam, quòd alicui forsitan euidentiori non communicasset vel communicare videatur hæretico. Quid enim iuuat, si illi non communicet, & his tamen communionem iungitur, qui ab illius non sunt communionem diuersi? Quòd si eorum nulli communicauit, vel non omnino

communicat, hic erit ille sinceræ, catholice, Apostolicæque communionis & fidei. alioqui nullomodo poterit indiscretæ illius mixtionis insincerum vitare contagium. Hoc modo etiam ille vir bonus Acacius Antiocheno Petro, cui se palàm non communicare iactabat, per alios sine ambiguo communicasse detegitur. Neque enim ab omnium, qui Antiocheno Petro cõmunicabant, semet Acacius communionem suspendit. Ac per hoc quid profuit, quòd videri volebat illi palàm non communicare, cui per suos complices subsiciuæ communionis nec tebatur? Alexandrino Petro cõmunicauit Acacius. Sed donec aduixit Antiochenus Petrus, qui utique post Acacianum cum Petro Alexandrino foedus initum defunctus ostenditur, nunquam Antiocheno Petro Alexandrinus Petrus commu-

niare desit. Quod catholicorum continet relatio sacerdotum, ceterorumque in catholica fide durantium, nec conscientiam latere potest totius Orientis. Et vt taceam, quod per ipsum Zenonem Imperatorem, qui vti que Antiocheno Petro, quem introduxerat, & cuius sacerdotium comprobauerat; sine dubio communione permixtus, communicabat Acacius: plurimos diuersarum urbium Præsules; possumus demonstrare, quibus cum Antiocheno Petro communicantibus nihilominus communicabat Acacius, & per illos Antiocheno communicabat consequenter & Petro. Sed hæc apud Græcos facilis & inculpabilis putatur esse permixtio, apud quos nulla est veri falsiq; discretio; & cum omnibus reprobis volunt esse communes, in nulla monstrantur probitate constare. Hic autem

ille est Petrus Antiochenus, quem nec per pœnitentiam ad communionem catholicam recipi etiam à sede Apostolica poposcit Acacius. Ac per hoc queruntur à nobis Acacium fuisse damnatum, cum hac professione præmissa, & per infectos Antiocheni Petri recepta communione, se doceatur ipse damnasse. Vbi tamen non solum reus tenetur Acacius, sed omnes pontifices Orientales, qui pari modo in hæc cecidere contagia, meritoque simili damnatione tenentur obstricti, nec inde possint vllatenus expediri, nisi dum supersunt à talibus abstinendo. Nec nos oportet in talibus causis nisi illis credere, qui aut omnino se sciunt ab huius perfidiæ nexibus diuino beneficio seruare discretos, aut his qui à perfidorum consortio recesserunt. Nam in perfidorum contagio constitutis, quam

fidem pro sinceræ communionis te-  
stificatione possumus adhibere, qui  
insincera communionem sunt polluti.  
Nec eorum testimoniis niti pro veri-  
tate poterimus, qui impugnare non  
veretur falsitatibus veritatem. Restat  
vt non nisi illis credere debeamus, qui  
ab omni contagione sunt liberi.

---

EPISTOLA X.

VIGILII PAPÆ ENCYCLICA  
ad vniuersam Ecclesiam.

*Exponit causas secessus sui ad S. Euphemiam,  
& quid ibi egerit cum legatis Iustiniani.  
simulque fidei suae confessionem  
interferit.*

VIGILIUS EPISCOPVS ECCLESIAE  
catholicae vrbis Romae vniuerso  
populo Dei.

**D**Vm in sanctae Euphemiae ba-  
silica graui laborantes ægritu-

dine detineremur, piissimus atque  
clementissimus Imperator, Domini-  
corum die, id est, v. Kalendas Februa-  
rij, gloriosos Iudices suos ad nos de-  
stinare dignatus est, id est, Belisarium  
& Cethegum Exconsules atque pa-  
tricios, nec non & Petrum Exconsu-  
lem patricium atque Magistrum, sed  
& Iustinum Exconsulem & Curapa-  
latij, & Marcollinum Quæstorem:  
qui nobis dicerent, vt sacramenta  
percipere deberemus, & de sanctae  
Euphemiae Ecclesia ad ciuitatem re-  
giam remeare. Quibus tale dedimus  
Deo adiuuante responsum, dicentes,  
Nos quidem in hanc basilicam pro  
nulla pecuniaria vel priuata causa  
confugimus: sed pro Ecclesiae tan-  
tum scandalo, quod iam in toto  
mundo pro peccatis innotuit. Et  
ideo, si causa Ecclesiae ordinatur, vt  
pacem eius, quam auunculi sui piis-

simus princeps fecit temporibus, & modo restituat, ego sacramētis opus non habeo, sed statim egredior. Si autem causa Ecclesiæ finita non fuerit, item sacramentis opus non habeo: quia nunquam de sanctæ Euphemix basilica exire dispono, nisi scandalum ab Ecclesia Dei fuerit amputatum. Nam posteaquam edicta sua piissimus princeps iussit appendi, omnibus Episcopis diuersarum partium, sed & presbyteris atque diaconibus, necnon & clericis Constantinopolitanæ Ecclesiæ ad nos venientibus, in Placidiana domo, antequam ad S. Petri confugeremus basilicam, facie ad faciem ita locuti sumus, Rogate piissimum principem, vt edicta sua, quæ præcepit appendi, remouere dignetur, & constitutum commune debeat expectare. id est, vt scandalizati Episcopi Latinæ linguæ, aut ad

Synodum veniant, aut certè, remota omni violentia, suas scripto declarent sententias. Quòd si fortè preces vestras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis assensum, quæ ad diuisionem tendit Ecclesiæ, nec contra constitutum comminatione aliqua veniatis. Quia si hoc forsitan, quod non credimus, feceritis, noueritis vos ex præsentis die, vt præuaricatores, à beati Apostoli Petri sede per ministerium vocis meæ communionem suspensos. Et quoniam his actis non solum ea quæ commissa fuerant nullo modo sunt correctæ: sed etiam ex aliis causis die ipso, in præiudicium regularum Ecclesiasticarum, vel iniuriam sedis Apostolicæ, peiora præsumpta sunt, nec vltèrius eos communionis nostræ permisimus esse participes, nec aspectus eorum, post tot præuaricationes, nostri oculi re-

ceperunt. Ea enim quæ verbo de memorata excommunicatione cunctis Episcopis, presbyteris, & diaconibus, aliisque clericis Constantinopolitanae Ecclesie voce publica dixeramus, postea etiam die XIX. Kalendarum Septembrium nuper præteritarum, in beati Petri basilica in Ormisda scripto firmauimus. in quo etiam illum \*, qui sub habitu Episcopali lupi rapacis dominico gregi semper tendit insidias, & assumens totius ducatum scandali, vniuersalem Dei perturbauit ac perturbat Ecclesiam, de Episcopatus ordine deponentes damnauimus: alios verò, qui superius memorati sunt, à communione suspendimus. Sed ob hoc hæcenus paginam ipsius damnationis proferre noluimus, quoniam & clementissimum principem pro tali ac tanto scandalo ea quæ facta sunt, diuini considera-

Theodorum  
Cæsariensem.

tionem iudicij, reuocare confidimus, & prædictis omnibus oportebat nos spatium pœnitentiæ reseruare, imitantes beatum Petrum, cuius sedem tenemus etsi immeriti. Chartam verò ipsam excommunicationis, atque damnationis, cuidam Christianæ personæ tradidimus conseruandam: ut si forsitan hi qui excesserant nullo modo corrigere voluissent, aut si nobis vis aliqua irrogaretur, siue quælibet inquietudo fieret, vel certe humana sorte transitus de hac luce contingeret, mox eam in celeberrimis locis proponeret, quatenus eius notitia Christianis omnibus patefacta seruarietur in posterum. Dum hæc autem præfatis Iudicibus diceremus, rogauimus & coniurauimus eos, inuocato omnipotentis Dei iudicio, ut clementissimo Imperatori hoc quoque ex nomine nostro suggererent,

quia illis qui à nobis excommunicati sunt, in quibus & is quem prædiximus est, communicare non debet, ne graue quod absit peccatum incurrat. His ita se habentibus, per magnificum virum Petrum Referendarium die pridie Kalendas Februarias quædam charta nobis est allata, quam à clementissimo principe nullomodo credidimus destinata, quia nec fuerat pietatis eius manu subscripta. Et dum memorato Referendario diceremus, vt in ea subscriberet, diemque quo ab ipso fuerat allata pariter designaret, omnino refugit hoc facere: quæ res suspicionem nostram, quia charta ipsa à piissimo principe nesciretur, apertè firmavit. Tantis enim à veritate sepositis rebus, atque iniuriis probatur esse plenissima, vt hanc imperialis oris nunquam credatur mansuetudo dictasse, maximè con-

tra

tra illius primi Apostolorum vicarium, cuius olim reuerentiæ se frequentibus scriptis professus est debitorem. Memorata autem charta licet per se nullas vires obtineat, tamen contra eam ad singula, Deo iuuante, veraciter atque simpliciter respondetur: quatenus eius falsitas, quæ sapientibus viris semper est odiosa, à cunctorum animis plenius excludatur. Nunc autem omnibus hominibus hoc quoque curauimus indicandum, quoniam nos ad sanctæ Euphemiæ basilicam sub magno timore atque anxietate discessimus. Nam cum ad beati Petri basilicam in Ormisda fundatam Augusto mēse nuper præterito fugissemus, nullum latere confidimus, quia cum in eadem Ecclesia à comitatu Prætoris, cum multitudine armatorum militum veniente tanquam ad bellum instructa acie, à

P

sancto eius altare tracti pedibus traheremur, tenuimus, & super nos etiam ipsa altaris mensa ceciderat, nisi clericorum nostrorum fuisset manibus sustentata. Postea verò, dum nobis dicitur, quòd exinde, nisi sacramenta voluissemus accipere, sub omni violentia traheremur, & memorati Iudices à piissimo Imperatore directi voluissent nobis sacramenta præstare, indiculum dedimus, per quod dari personæ nostræ scripto petiuimus iusiurandum. quod clementissimus princeps non quale nos volumus præberi concessit, sed quale ipsi placuit per Iudices suos dandum esse dictauit. Et dum sæpe dicti Iudices, posito indiculo super altare & cataracta beati Petri Apostoli, & super crucem quæ de ligno passionis Domini habet inclausum, sed & super clauis beati Petri Apostoli præ-

stitissent corporale iusiurandum, ad Placidianas, tanquam nihil mali ulterius patientes, secundum piissimi principis rediuimus voluntatem. In qua dum multa mala intolerabilia sæpius pateremur, quæ iam omnibus nota esse confidimus, prædictos Iudices tam verbo, dum ad nos sæpius à clementissimo fuissent principe destinati, quàm etiam scriptis, semel, secundò, & tertio credidimus contestandos, vt sacramenta quæ dederant conseruarent, & piissimo Imperatori suggererent, quatenus nullas inquietudines aut molestias, sicut nobis iuratum fuerat, pateremur. Dúmque nihil nostra toties vel verbo vel scripto contestatio profecisset, sed diebus singulis peiora etiam pateremur, ante biduum Natalis Domini per nos ipsos agnouimus, & auribus nostris audiuius, quia per singulos



recordationis decessor noster Papa Leo per legatos suos vicariósque præfedit, & prout diuersarum hæresum damnanda exigebat aduersitas, eandem fidem vno eodémque sensu atque spiritu declarantes latissimè ediderunt. Hinc est quòd Deus noster contra errorum huiusmodi feritatem pastorale cælitus armauit officium, quod beatissimo Petro Apostolo trina præceptione commendans ait,

Joan. 11.  
17. *Pasce oues meas:* & rectè illi pascendarum est cura commissa, cuius fidei præclara confessio Dei est ore laudata. Confitenti enim salutariter, ac

Matt. 16.  
16. *Tu es Christus filius Dei viui,* perennis beatitudo rependitur, & columbæ filius vocitatur, & clauis regni cælestis accipit. Interrogante siquidem Domino, quem eum dicerent esse filium hominis, eundem ipsum hominis esse Deique filium,

sub mirabili interrogationis responsionisque breuitate confessus est, *Tu es Christus filius Dei viui.* Sacratissimæ scilicet mysterium incarnationis eius aperiens, dum in vnitæte personæ, seruaata geminæ proprietate naturæ, homo idémque Deus, & quod ex matre semper virgine sumpsit in tempore, & quod natus ex patre est antè sæcula, permaneret. Inconfusè autem, & indiuisè, atque inconvertibiliter & substantialiter vniens sibi carnem Deus verbum Emmanuel noster, qui legè & prophetis adnuntiantibus expectabatur, aduenit. Verbum caro factum est; & habitauit in nobis. totus in suis, totus in nostris. adsumens ex vulua carnem cum anima rationali & intellectuali: & sicut

Prou. 9.1.  
Psal. 118.6. scriptum est, ædificans sibi domum, tanquam sponsus procedens de thalamo suo, ineffabili salutarique my-

sterio, qui in principio erat verbum,  
 & verbum erat apud Deum, & Deus  
 erat verbum, incarnatus Deus Dei fi-  
 lius ex Spiritu sancto, & ex beata Ma-  
 ria semper virgine humanitatis sum-  
 psit initium, vt nos æternitatis suæ  
 faceret coheredes. nostræ consors di-  
 gnatus est esse naturæ, vt nos suæ im-  
 mortalitatis faceret esse participes.  
 pauper factus est cum esset diues, vt  
 eius inopia ditaremur. omnia quæ  
 nostra sunt euacuato nostrarum no-  
 strarum chirographo condonauit,  
 sicut vas electionis edocuit. *Cum in  
 forma Dei esset, non rapinam arbitratus  
 est esse equalem Deo: sed semetipsum  
 exinaniuit formam serui accipiens, in si-  
 militudinem hominum factus, egi habitu  
 inuentus vt homo. humiliavit se factus  
 obediens vsque ad mortem, mortem au-  
 tem crucis. Id peragens tam inscruta-  
 bilis mysterij & dispensationis arca-*

Philp. 2. 6

no, vt mediator Dei & hominum ho-  
 mo Christus IESVS maledicto, quo  
 primus homo terrenus mortis vincu-  
 lis tenebatur adstrictus, secundus ho-  
 mo cælestis, dum mortem morte cal-  
 caret, absolueret. Passus carne est pro  
 nobis Dei filius, crucifixus carne est,  
 mortuus carne est, & die tertio resur-  
 rexit, vt diuina impassibili perma-  
 nente natura, & carnis nostræ verita-  
 te seruata, vnus eiusdemque domini  
 Dei nostri IESV Christi & passiones  
 & miracula fateamur. Vt glorifica-  
 tionem capitis nostri totius Ecclesiæ  
 corpus aspiciens, quales primitias in  
 capite nostro, id est in Christo Deo  
 ac domino intueretur ex mortuis, ta-  
 les in his qui eius membra sunt in fu-  
 turæ gloriæ præstoleretur aduentum.  
 Ipse igitur redemptor noster sedet ad  
 dexteram patris, vnus idemque sine  
 confusione vtriusque naturæ, sine

diuisione personæ, & ex duabus atque in duabus creditus permanensque naturis. inde venturus iudicare viuos & mortuos. Pater autem cum eodem vnigenito filio, & Spiritu sancto, vnus est in deitate, & æqualis indiscretæque naturæ. Huius fidei plenitudinem Dominus noster post resurrectionem mandauit Apostolis dicens: *Itē, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* In nomine, inquit, dixit, non in nominibus. vt in quibus vna virtus, vna potestas, vna deitas, vna æternitas, vna gloria, vna omnipotentia, vna beatitudo, vna operatio est, vnæque natura, vnus quoque nominis existat integritas. Nihil in deitate quippe discretum est, cum tantum personarum proprietates manifesta distinctione signetur. Totum ergo quod Trinitas est permanet

consubstantialis & indiscreta diuinitas. Hanc fidem à me sub breuitate narratam, doctrinæ prophetiæ atque Apostolicæ congruentem, superscriptorum patrum latius explanauit assertio. cum sicut diximus aut hæreticorum infestantium conuinceretur aduersitas, aut rectorum dogmatum efficaciter declararetur auctoritas. Hanc quoque fidem præfatarum quatuor Synodorum, sed & beatorum decessorum nostrorum epistolis de fidei integritate conscriptis, continet laudanda confessio. quæ doctrinæ sedis primi Apostolorum per omnia probatur adsimilis, & nulla ex parte discordans. Huic ergo fidei, vel omnibus quæ in supradictis quatuor Conciliis à sanctis patribus nostris definita sunt, contradicentes hæreticos condemnamus. id est Arrium, Macedonium, Eunomium, cum dog-

matibus suis, & omnes qui errori eorum consenserunt atque consentiunt. Anathematizamus etiam Paulum Samosatenum, Photinum, Bonosum, atque Nestorium, cum nefariis doctrinis suis, & quicumque eorum blasphemias præbent aut præbuerunt aliquando consensum. Item anathematizamus Valentinum, Manicheum, Apollinarem, atque Eutychem, simulque Dioscorum defensorem, cum execrabilibus commentis & prædicationibus suis, & omnes qui erroribus eorum usque in die mortis suæ implicati manserunt. Sed si quos hæreticos nominatim omisimus, in cuiuslibet erroris morbo pollutos, & usque ad suum exitum permanentes, cum propriis erroribus condemnamus, abicimus, atque respuimus: solum fidem catholicam, quam in superscriptis quatuor sanctis Conciliis

ab Apostolis traditam susceperunt, & suis expositionibus declaratam per successores suos usque ad nostra tempora transmiserunt, inuiolabiliter operante gratia Domini custodimus. Et quoniam nullus Christianorum usque ad præsentem diem gestarum rerum incertam debet habere notitiam, etiam quæ post tantæ relationis supplementum facta sunt similitudine narramus. Dum hesternæ die, id est Dominicorum, qui fuit pridie Nonas Februarias, magnificus vir Petrus Referendarius ad nos cum mandatis clementissimi principis Rome affert dicens, Quando vultis ut veniant Iudices, & vobis præbeant sacramenta, quatenus de hac in qua residetis Ecclesia egredi debeatis, & secuti ad regiam ciuitatem remeare? ita ei publica voce respondimus: Et per gloriosos Iudices palatii, sicut præfati

sumus, cum quibus & tua magnitudo ad sanctam Euphemiam venerat, quæ superius sunt dicta mandauimus, & nunc per te denuo clementissimo principi hæc dicimus suggerenda. Nos ad pietatem tuam festinantes ante septem annos de ciuitate nostra sic egressi sumus, vt nulla haberemus priuata negotia. Nunc quoque suggerimus, & rogamus pro pace, quam per pietatem tuam pridem Deus donauit Ecclesiæ, vt eam nullorum hominum turbari amplius insinuatione permittas: nec auctorem totius scandali Theodorum vltra vexare fidem catholicam patiaris. quoniam ante sex menses à nobis inter alios communionem sacra priuatus est, & ab Episcopatu pro sua prauitate depositus. per eam videlicet paginam, quam adhuc pro mansuetudinis vestræ intuitu, & spe conuersionis eius, sicut

dictum est, publicè proferre distulimus. Illud etiam pari modo per magnitudinem tuam eius auribus intimamus, quia de causa Ecclesiæ per te nullum possumus dare responsum, ob hoc quòd quædam, quæ tibi dicimus nuntianda eius clementiæ, profiteris te non posse suggerere. Et ideo si directis duobus Iudicibus, quorum nomina tibi in præsentem prodidimus, sacramenta præstare dignetur, vt post hæc sine metu periculi fratrem nostrum Datium Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, vel alios quos cum eo transmiserimus, loco nostro suscipiat, parati sumus dirigere, vt per eos de Ecclesiastica causa quæcumque mandauimus veraciter innotescant. Siquidem Ecclesiæ causa nulla sacramenta nobis dari deprecamur: sed mox pro gratiarum actione eius occurrimus pietati. quia nihil aliud est

240 PONTIF. ROM. EPIST.  
quod præter scandalum nos Deo ad-  
iuuante perterreat, vnde amplius in  
sanctæ Euphemie basilica sedeamus.  
Supplicamus enim Deo nostro, &  
precibus indefessis optamus, vt per  
cum sublata dissensione pax, quam  
piæ memoriæ auunculi sui fecit ipse  
temporibus, reparetur Ecclesiæ. Nam  
si vlla prouenerit vltra dilatio, nos ne-  
cesse est causam modis omnibus de-  
finire. quia neque proximos, neque  
alios parentes, aut quamlibet sub-  
stantiam, animæ nostræ, vel piissimi  
principis opinioni præponimus. Da-  
ta Nonis Februarij, imperante domi-  
no Iustiniano PP. Aug. anno xxv.  
Post Consulatum Basilij v.c. anno x.

FINIS.

tantum habent venialia nõ  
obligantur per se confite-  
ri cum non sint materia ne-  
cessaria tenent omnes, Re-  
gulares tamen videntur ex  
statuto, & consuetudine ob-  
ligari sub veniali, vt ali-  
quod ex his fateantur se-  
mel in mense, aut ex alijs à  
quibus iterum fuerat abso-  
latus: quia videtur aliquo-  
modo confiteri eo tempo-  
re resoluunt P. Henriq. lib. 4.  
cap. 4. in fine P. Azori. in-  
tit. moral. p. 1. lib. 7. cap. 28.  
q. 3. P. Soar. tom. 4. disp. 36.  
sect. 2. n. 6. P. Valeri. Regin.  
d. lib. 6. nu. 44. P. Aegidi. d.  
tom. 2. disp. 5. a nu. 51. P. Luc.  
Pinell. d. tract. 2. de Conf.  
cap. 7. dub. 2. & cap. 8. post  
principio.

3 In text. ibi (post diligentem  
sui discussionem) Quod pœ-  
nitens præmittere debeat  
debitam, & diligentem cõ-  
scientiæ discussionem, post  
multos quos refert, docent  
P. Henriq. li. 5. cap. 5. a prin-  
cip. P. Ledesm. d. tract. de

man. cap. 21. nu. 35. P. Hen-  
riq. d. lib. 5. cap. 3. §. 4.  
5 In text. ibi (reconfess) V  
de Nau. in c. Fratres de p.  
nit. dist. 5. n. 79. cum seqq.  
6 Vtrum si quis in con-  
fessione facta hoc anno al-  
qua peccata mortalia om-  
serit per obliuionem excu-  
sabilem, vel aliquã causa  
rationabilem teneatur  
precepti ecclesiastici sta-  
tim confiteri eadem pecca-  
ta? Negant post Victor.  
Nauar. P. Valeri. Reginald.  
in praxi fori pœnit. libr. 1.  
n. 40. P. Luc. Pinell. d. tract.  
2. de Confess. cap. 7. dub.  
7 In text. ibi (colligitur præ-  
terea etiam eas circumstantias  
&c.) Vide Nauar. in Man.  
cap. 6. n. 3. & in cap. Conf.  
deret de Pœnit. dist. 5. n. 10.  
cum seqq. Pat. Henriq. i.  
sum. lib. 5. cap. 6. cum seqq.  
Sayr. in clau. reg. lib. 2. c.  
P. Valeri. Reginald. d. lib. 6.  
n. 110. cum seqq. P. Aegidi.  
d. tom. 2. disp. 7. num. 8. cum  
sequentibus. Petr. Ledes.

